This is a reproduction of a library book that was digitized by Google as part of an ongoing effort to preserve the information in books and make it universally accessible.

Google™ books

https://books.google.com

This is a reproduction of a library book that was digitized by Google as part of an ongoing effort to preserve the information in books and make it universally accessible.

Google™ books

https://books.google.com

WIDENER
HN NFPA R

Scan 430.1

Harvard College Library

FROM

By exchange

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Scan 430.9.17

SAXO GRAMMATICUS

QUID ET QUO MODO

AD

GESTA DANORUM

CONFICIENDA

EX CARMINIBUS PATRIO SERMONE TRADITIS HAUSERIT

THESIM

FACULTATI LITTERARUM IN UNIVERSITATI PARISIENSI

PROPONEBAT

L. PINEAU

TURONIBUS
EX TYPIS « E. ARRAULT & Cie »

—

MCMI

Digitized by Google

Digitized by Google

SAXO GRAMMATICUS

Digitized by Google

Digitized by Google

SAXO GRAMMATICUS

QUID ET QUO MODO

AD

GESTA DANORUM

CONFICIENDA

EX CARMINIBUS PATRIO SERMONE TRADITIS HAUSERIT

THESIM

FACULTATI LITTERARUM IN UNIVERSITATI PARISIENSI

PROPONEBAT

L. PINEAU

TURONIBUS
EX TYPIS « E. ARRAULT & Cie »

MCMI

Digitized by Google



Scan 430.9.17

150/53

OCT 12 1905

From the University
by exchange.

Digitized by Google

AMICO

KR. NYROP

L. P.

Digitized by Google

Digitized by Google

FONTES

Saxonis Grammatici Gesta Danorum, herausgegeben von A. Holder. Strassburg, K. Trübner, 1886 (**GD**).

The first nine Books of the *Danish History of S. Gr.*, translated by Oliver Elton, with some considerations on Saxo's Sources, historical Method and Folk-Lore by Fr. York Powel. London, D. Nutt, 1894.

Scriptores rerum Danicarum, Ed. Langebeck (**SRD**).

Sv. Aagesens Danmarks-Krönike, oversat og oplyst af R. Th. Fenger. Kjbhvn, 1842.

Adams von Bremen Hamburgische Kirchengeschichte, nach der Ausgabe der *Monumenta Germaniæ*, 2te Aufl. Leipzig, 1893.

A.-I. Arwidsson, *Svenska Fornsänger*. Stockh., 1834-42 (**SFs**).

Danmarks Gamle Folkeviser, udgivne af Sv. Grundtvig, A. Olrik, 1853- (**DgF**).

Eddalieder, *Altnordische Textbibliothek*. Ed. Finnur Jónsson, Halle a. S., 1888 (**EL**).

Kr. Erslev, *Kilderne til Danmarks Historie i Middelalderen* (omtrent 1000-1450). Kjbhvn, 1892.

Fr. Hammerich, *Danmark i Valdemarernes Tid* (1157-1375). Kjbhvn, 1847.

V.-U. Hammershaimb, *Sjurdhar Kvædhi*. Kjbhvn, 1851 (**SK**).

— *Færöiske Kvæder*. Kjbhvn, 1855 (**FK**).

P. Hansen, *Illustreret Dansk Litteraturhistorie*. Kjbhvn, 1886.

A.-D. Jörgensen, *Bidrag til Nordens Historie i Middelalderen*. Kjbhvn, 1871.

M.-B. Landstad, *Norske Folkeviser*. Christiania, 1853 (**NF**).

Peter Erasmus Müller, *Om Kilderne til Saxos ni første Böger* (*Vid.* Sel. hist. og philosoph. Skr. II Deel, 1823).

Digitized by Google

Peter Erasmus Müller, *Kritiske Bemærkninger over Saxos Danske Histories tiende Bog.*

A. Olrik, *Forsøg paa en Tvedeling af Kilderne til Sakses Oldhistorie* (Aarbøger for Nord. Oldkyndighed og Historie, 1892).

— *Sakses Oldhistorie. Norröne Sagaer og danske Sagn.* Kjbhvn, 1894.

J. Paludan, *Danmarks Literatur i Middelalderen.* Kjbhvn, 1896.

N.-M. Pedersen, *Danmarks Historie i Hedenold.* Kjbhvn, 1854.

Joh. Steenstrup, *Saxo Grammaticus og den danske og svenske Oldtidshistorie* (*Arkiv för nordisk Filologi*, XIII, Ny Följd, IX).

C. Rosenberg, *Nordboernes Aandsliv*, 1878.

J.-G.-F. Rœder, *Danmark under Svend Estridsen og hans Söner.* Kjbhvn, 1871.

Digitized by Google

PRÆFATIO

I

DE REBUS DANICIS, QUAS HISTORIARUM SCRIPTORES ANTE SAXONEM RETULERE

Anno circiter MCC p.Chr.n., Danorum publica res multo majore quam antea felicitate florebat. Intestinis enim bellis tandem confectis, finitimi hostes, cum Wendilenses, tum Germani aut victi fuerant, aut bellum componere coacti, ut Waldemarus rex, qui, eo tempore, summam rerum haud ambiguo imperio obtinuerat, potestatem suam haud immerito maximarum civitatum potestati non suæ ætatis modo, sed etiam totius antiquitatis æquiparare posset (1).

Pergrato tamen et superbo animo hunc rerum florentem statum, cum vix e barbara ætate exivissent, considerantes Danos et illos in primis, qui familiariter principe utebantur, maxima cura angebat : etenim iis ex animo non deciderat, quot et quanta egregie facta Dani explevissent, ex quo audaces ipsorum classiculæ in diversa

(1) Fr. Hammerich, *Danmark i Valdemarernes Tid.*

Digitized by Google

Europæ littora appulissent; atque illis in animo desiderium erat, ne gestarum earum rerum memoria posteris non traderetur (1). Cujus voti præstantissimi duo viri fidem nobis fecerunt :

« Cum veterum in monumentis, inquit Svend Aagesen, operosa contemplatione, priscorum gesta, stilo conscripta elegantissimo, crebro perspicerem, diutinis suspiravi gemitibus, quod nostrorum Regum Principumque præclarissima gesta æterno deputarentur silentio. Quippe cum et illi inferiores non extiterint meritis et virtutum experientia, pari præconio utique eos excellere conveniret (2). »

Saxo autem :

« Cum cetere naciones rerum suarum titulis gloriari, uoluptatemque ex maiorum recordacione percipere soleant : Danorum maximus pontifex Absalon patriam nostram, cuius illustrande maxima semper cupiditate flagrabat, eo claritatis et monumenti genere fraudari non passus, michi, comitum suorum extremo, ceteris operam abnuentibus, res Danicas in historiam conferendi negocium intorsit ; inopemque sensum maius uiribus opus ingredi, crebre exhortacionis imperio compulit. Quis enim res Danie gestas literis prosequeretur ? que nuper publicis iniciata sacris, ut religionis, ita Latine quoque uocis aliena torpebat. At ubi cum sacrorum ritu Latialis eciam facultas accessit, segnicies par impericie fuit, nec desidie minora, quam antea penurie, uicia extitere. Quo euenit, ut paruitas mea, quamuis se predicte moli imparem animaduerteret, supra uires niti, quam iubenti resistere preoptaret : ne, finitimis factorum tradicione gaudentibus, huius gentis opinio pocius uetus-

(1) A.-D. Jörgensen, *Bidrag til Nordens Historie i Middelalderen*, p. 182.
(2) *SRD.*, I, p. 43.

Digitized by Google

tatis obliuiis respersa, quam literarum monumentis predita uideretur. Igitur oneri cunctis preteriti eui scriptoribus inexperto, rudes laboris humeros subiicere coactus, imperiumque negligere ueritus, audacius quam efficacius parui; quamque ingenii mei imbecillitas fiduciam negabat, ab hortatoris amplitudine mutuatus (1). »

Argumenta quidem, quibus, quanquam multis de causis grato animo accipiendis, propositum suum Saxo affirmare tentat, summaque ope nititur demonstrare, cur civium suorum res gestæ posteris nunquam traditæ fuerint, aut inania, aut omnino falsa nobis esse videntur. Quod si enim, iis temporibus, nulla rerum Danicarum relatio scripta fuerit, neque segnitia, neque ignorantia incusanda est. Quippe ea tempestate, qua Christianorum religio ab Evangelii præconibus est allata, nihil aliud apud Danos, ut apud Barbarorum gentes fieri solet, quam carmina exstabat, maximos suos viros extollendi gratia, aut tradendi memoriæ nomina eorum, qui civitatis conditores ducebantur. Quod Tacitus sua ætate de Germanis vere dictitaverat : « Celebrant carminibus antiquis, quod unum apud illos memoriæ et annalium genus est... (2) », hoc quoque de septentrionalibus gentibus non sine causa dici poterat. Hoc quidem alioqui ab ipso Saxone postea adnotatur. Apud eos igitur soluta oratio aut non erat, aut informis adhuc et rudis exstabat. Accepimus enim Tylenses primos ex omnibus Scandiæ gentibus soluta oratione esse usos, et eam litteris scriptis commisisse : quare ibi heroica carmina oriri potuissent; historiæ vero scribendæ nulla erat ratio. Verum Evangelii præcones sermonem novum, optime constitutum, quippe qui haud semel ad enotanda

(1) *GD.*, Prefacio, p. 1.
(2) *Germania*, 2.

Digitized by Google

maxime conspicua orbis terrarum valuisset, secum afferebant. Cum novum illum sermonem juvenes Danorum ardenti studio discere incepissent, plurimi eorum, ut linguam istam penitus callerent, externarum gentium scholas, præcipueque Lutetiam ultro petierunt. At, in patriam reversis, num in mentem venire poterat, ut præteritorum temporum, a quibus et humanitate nuper assumpta et novæ religionis officio deterrerentur, memoriam colligerent (1) ? Opinabantur contra historiam initium habere tantum posse ex quo novi jam homines nova illa religione facti fuissent : historiamque imperite quidem et, ut ita dicam, diurnos commentarios conscribebant.

Unicuique enim monasterio, unicuique ecclesiæ erat proprium *Necrologium*, aut *Calendarium*, in quo juxta publicæ administrationis enotationes, aut earum rerum, quæ ad res divinas tantummodo pertinebant, in dies prout agebantur, maxime digna memoria facta enumerabantur. Haud paulo post orirentur necesse erat et *Regum Genealogiæ* atque etiam *Annales*. Inter quæ et *Necrologium Lundense* et *Chronica Roskildensis*. Eodem tempore, seu ad informandos Christianæ disciplinæ cultores, sive quampiam aliam ob causam, ab obscuro et ignoto clerico scribitur *Passio Sancti Kanuti regis et martyris* (MVC) ; atque quinto abhinc aut sexto anno *De martyrizatione Sancti Kanuti regis*. Tunc ab anno MCXIX ad MCXXV, Othoniensi in urbe (2), vir monachus quidam, origine Anglus, totius vitæ ejusdem historiam scribit : *Ælnothi monachi historia ortus, vitæ et passionis S. Canuti, regis Daniæ*. Cujus opus, xxxv capitibus inclusum, regni historiam, ex quo Magnus et

(1) A.-D. Jörgensen, *Bidrag til Nordens Historie i Middelalderen*, p. 186.
(2) Othene, urbs (Odense in Fionia).

Digitized by Google

Sveno Estridssen inter se de imperio decertare cœperunt, usque ad extremos Erici Boni Ejegodh annos continet. Nonnullis post annis, in Scotia, monachus alter, Robertus Elginensis, cujus ex opere fragmenta tantummodo supersunt, rerum ordinem repetit ex eo tempore, quo, infecta re, Elnothus subsedit et, tanquam in minore latina « saga », *Vitam sancti Kanuti ducis* (MCLXX) enarrat.

In summa, ibi reperire est totius seculi historiam. Quid enim prosit illis historiarum auctoribus vitio vertere, quod ipsis in scribendo æquitas defuerit, quæsito tantum rei divinæ et religionis commodo? Qui haud spernenda certe documenta et grata novitate præstantia nobis præbuerunt.

Denique hoc scriptoribus istis fuisse in animo videtur, ut Danorum res gestæ in universa omnium gentium historia adscriberentur : quod quidem intelligi potest ex fragmento quodam, in media Wendilensium regione reperto apud monasterium Kolbaz. In eo enim varios viros enumeratos, qui Romæ imperium obtinuerunt, ceterosque majorum civitatum reges usque ad annum MCXXVII invenimus ; nonnullis tantummodo post annis ab eo tempore referri cœpta sunt facta propria Danorum.

In Norvagia etiam, anno circiter MCLXXVIII, monachus Theodoricus ex monasterio apud Nidarholm parvam *Historiam de antiquitate regum Norvagensium* ab Haraldo Haarfager usque ad Sigurdum Jorsalfar deducit. Eodem forsan tempore scribebatur in Orcadibus, ut invenimus apud Snorronem et Adamum Bremensem, *Historia Norvagiæ*, quæ usque ad annum MXVI prolata est. Historicas certe sagas omittimus, quæ undique ex ipsa Islandia oriebantur.

Digitized by Google

Suetia autem, annis centum post Danos ad Christum conversa, nullum hujus generis opus ante primos XIII seculi annos edidit.

Nemini igitur dubium est, quin ante Saxonem verum et mentione dignum ortum sit historiæ studium : nullus autem ex iis, qui huic rei incubuerunt, præteritorum temporum curam habet. Qui, Roskildiæ vivens (1), ignobilis quidem, memoriæ historias tradidit et ab antiquissimo tempore res repetit, Annales suos tantummodo ab episcopo Ansgario init, eosque solum inter reges enumerat, qui, effusa super caput aqua, Christiani inde effecti sunt. In novissimis XII seculi annis, supereminente sine dubio Tylensium gratia, historiæ limen pagani reges adeunt. Ita primus istiusmodi scriptorum, Svend Aagesen, archiepiscopi Eskylli nepos, omissa præcipua superiorum cura, qui unius religionis res intuebantur, suam *Compendiosam Historiam regum Daniæ* a rege Svenone inchoat.

Hujus liber, ut apte dixit A.-D. Jörgensen (2), non modo totius seculi animum mentemque complectitur : sed etiam hoc ei dandum est laudi, quod meræ et veræ historiæ conscribendæ, ab ipsius temporibus usque ad nostram ætatem, princeps et auctor fuerit. Cum autem iis tantum documentis utatur, quæ verbis traduntur, breviori adhuc Chronicorum sermone scribit : ad hoc, scriptor, cui mens fervido in patriam amore plena est, indulgentius facta enarrat, quibus præcipua laude patria augeri potest, omissis ceteris, aut saltem parce et obiter relatis. Sæpius quoque nihil aliud quam nomina refert. Attamen, in perpendendis factis, multo acutius, quam Saxo, judicium præbet : nam silendum potius, quam res

(1) *Anonymi Roskildiensis Chronicon Daniæ.*
(2) *Bidrag til Nordens Historie i Middelalderen*, p. 222.

Digitized by Google

fictas inveniendum, cum ex nullo, aut ambiguo fonte materies haurienda sit, judicat. « Nec fabulose, inquit, videar historiam enarrare, quantum ab annosis et veteribus certa valui inquisitione percontari, compendiose perstringam (1). » Et alias : « Verum ne fabulose, vel mendaciter, Regum redarguar tempora continuare, quos tamen haud modico distare didici temporum interstitio ; cum non pigritia, verum potius referentis inopia, multos illustres transcurrerim : diligenti relinquo indagandum successori, ut quod ex eclipsi prætermisi memoria, sollicitus investigator suppleat (2). » Longiusque : « Avorum gesta superfluum duxi plene recolere, ne crebrius idem repetitum fastidium pareret legentibus : quum, illustri Archipræsule Absalone referente, contubernalis meus Saxo elegantiori stilo omnium gesta prolixius exponere decreverit (3) ».

Quæ vero apud Aagesen permagnam in scribendo probitatem simul ac modestiam asseverant. Quare, ex opere ejus, quodcumque est, intempestivam illius verecundiam non moleste ferre non possumus ; atque nobis plus loci foret gaudendi, si cum Saxone, clarissimo æquali, Aagesen tanta fretus virtute certavisset, neque, tanquam viribus minor, loco cessisset.

II

DE VIRO

Quis erat igitur ille Saxo ?

Ipse alioqui, ut supra invenimus, extremum se nomi-

(1) *SRD.*, I, p. 44.
(2) *Id.*, p. 46.
(3) *Id.*, p. 56.

Digitized by Google

nat ex comitibus episcopi Absalonis : « michi, comitum suorum extremo » (1). Tum nos edocet majores suos quondam armis spectatos fuisse et ipsum castrensem militiam litteris posthabuisse : « Ceterum prisco atque hereditario obsequendi iure, saltem ingenii uiribus tibi militare constitui : cuius clarissimi patris castrensem miliciam parens auusque meus fidissimis bellici laboris operibus coluisse noscuntur (2). »

Ea sunt in toto operis corpore sola documenta, quæ vel de ipso, vel de ipsius genere reperire possumus.

Testis est Sv. Aagesen, a quo « contubernalis » vocatur, nobisque significat utrumque et in armis et in castris nonnullam vitæ partem egisse. Hoc etiam profecto judicari potest ex narrationibus quibusdam, quas nullus, nisi castrensium rerum particeps præsensque fuit, conficere potest. Quonam vero nomine Saxo stipendia merebat ? Certe tanquam clericus et ab epistolis Absalonis. Etenim unus significatur ille in præclari episcopi testamento his verbis : « Saxoni clerico suo duas marcas argenti et dimidiam concessit, quos sibi donavit. Saxo debet duos libros, quos archiepiscopus ei concesserat, ad monasterium de Sora referre (3). »

Nonnullis autem post seculis, de eo in *Chronicis de Sialandia* fit mentio : « unde refert in Gestis Danorum Saxo cognomine Longus, miræ et urbanæ eloquentiæ clericus ».

Prioris hujus cognominis in locum, quod magnitudini corporis potius quam operum amplitudini tributum fuit, substitutum est etiam alterum, quo, maximam doctrinæ et ingenio ejus laudem adjiciente, in perpetuum affectus

(1) *GD.*, Prefacio, p. 1.
(2) Prefacio, p. 4.
(3) Kr. Erslev, *Kilderne til Danmarks Historie i Middelalderen*, p. 7.

Digitized by Google

est. Quod quidem primum a Thomasio Gheysmer relatum invenimus : « Gesta Danorum quidem egregius Grammaticus, origine Syalandus, nomine Saxo, conscripsit ad instantiam domini Absalonis, archiepiscopi Lundensis. »

Denique fama, versiculo quodam mediæ ætatis, quem Stephanius servavit : « Roskildis viguit præpositusque fuit », roborata, eum Roskildiæ ecclesiæ decanum ibidem sepultum esse affirmat.

Neque plura de nostro comperta habemus : namque quo sit natus in loco, in quo mortuus, æque nos latet.

Quod si vitam ejus minutatim subtiliterque exsequi non possumus, fateri tamen cogimur, eum mirum opificem, quasi ad voluntatem et ex sententia in officio præstantissimi hujus viri, Absalonis episcopi, qui armis et manu non solum firmaverit Danorum imperium, sed et cujus opera industriaque haud mediocris rerum Danicarum scriptor inventus sit, adfuisse.

III

DE OPERE

Saxonis *Gesta Danorum* sexdecim libros amplectuntur, quorum novem paganorum ætati, incluso Gormone antiquo, impertiuntur ; decimus ab Haraldo Blaatand (DCCCCXXXVI-DCCCCLXXXVI) ad Magnum Bonum pergit († MXLVII) ; undecimus, duodecimus et tricesimus Svenonis Estridssen et filiorum ejus regnum enarrant ; quartus decimus vero ab Erico Emundo init et majorem partem regni Waldemari Magni continet, cujus novissimi anni in quinto decimo exponuntur. In sexto

Digitized by Google

decimo denique invenimus historiam Knuti, filii Waldemari, usque ad redactam in Danorum potestatem Pomeraniam.

Recte consideranti ingens illud opus esse operæ videtur requirere, unde documenta ceperit, quo ex fonte historiarum auctor hauserit : jamque de ea re disputatum est a plurimis et doctis scriptoribus. Nonne enim a Svend Aagesen accepimus, haud facile esse, certi aliquid cognoscere de præteritis temporibus, tam densis et longinquis barbariæ tenebris singula contegentibus? Quantacumque vero est auctoritas criticorum, qui de ea re scripserunt, multum abest, ut jam omnia explanentur.

Primum quidem in hac disceptacione duæ instituendæ sunt partes : altera antiquioribus, altera rebus ad æquales spectantibus tribuenda est.

In posteriore parte secernenda sunt nobis ea, quæ ante Saxonem, ab illis, quæ eo vivente acta sunt. Si quæ non ante oculos ipsius gesta sunt, ita se habebat, ut vel ab Absalone, quem alioqui ad testimonium persæpe vocat, de minimis rebus certior fieri posset, vel ab optimatibus ejusdem aulam celebrantibus, quibus profecto, tanquam præpotentis episcopi familiaris, ipse familiarissime utebatur.

Ceterum hoc præcipue lectorem, ut primum animum habuerit intentum, vel levissimum percutiet : quarto decimo libro plus quam quartam operis totius partem, cvc scilicet paginas ex DCLXXV, uno effectam fuisse; initium vero habere paulo ante Waldemarum Magnum atque ante mortem ejusdem finem capere. Manifeste apparet opus auctoris tantum arbitrio ita divisum esse. Quivis enim alius omnia æque divisisset capitulatim, aut Waldemari regis totum regnum in eodem libro inclusisset. Quo ex facto haud immerito, nostra quidem senten-

Digitized by Google

tia, illum quartum decimum librum, saltem ab eo tempore, quo de Absalone ipso agatur, separatum quasi corpus ducendum concludere cogimur.

Etenim Svend Aagesen, qui anno circiter MCLXXXVII scribebat, dixit Saxoni esse in animo, regnum Svenonis Estridssen, a plebe « Kongfaderen » propter permultos liberos cognominati, filiorumque ejus memoriæ tradere. Ita iisdem temporibus neque undecimus, neque duodecimus, nec tertius decimus liber compositus erat. Idem de novem prioribus libris dicendum : qui si scripti fuissent, certe non moleste tulisset, majorum egregie facta oblivione esse sepulta. Aagesen tamen Saxonem tanquam mirum rerum scriptorem æstimat : quod non fieri posset, decimo quidem libro velut commissuram tantum præbente, si quartus decimus liber nondum scriptus fuisset.

Quibus expositis, totius operis summam eo modo conceptam esse judicare debemus : Saxonem, unum e comitibus Absalonis, sive libidini inservientem, sive admiratum res, prout evenerint, chronicos libros in diem scripsisse ; episcopum vero, ut primum eos noverit, miratione captum, iis animum intendisse, clericumque suum hortatum, ut in unum corpus redigeret : ipsum et documenta præbuisse fragmentaque forsitan ex toto dictasse, præsertim cum narranda esset series illorum casuum intra præteritos hos viginti annos, qui uni Waldemaro regnum detulerint.

Deinde, cum in historia omnia arctius conjungantur, a Svenone Estridssen atque etiam altius res repetendæ sunt. Tunc sine dubio episcopus illo tempore clerico suo conficiendum opus commisit, quod omnes abnuebant, « ceteris operam abnuentibus », eumque totius nationis historiam immutabili lingua scribere jussit.

Digitized by Google

decimo denique invenimus historiam Knuti, filii Waldemari, usque ad redactam in Danorum potestatem Pomeraniam.

Recte consideranti ingens illud opus esse operæ videtur requirere, unde documenta ceperit, quo ex fonte historiarum auctor hauserit : jamque de ea re disputatum est a plurimis et doctis scriptoribus. Nonne enim a Svend Aagesen accepimus, haud facile esse, certi aliquid cognoscere de præteritis temporibus, tam densis et longinquis barbariæ tenebris singula contegentibus? Quantacumque vero est auctoritas criticorum, qui de ea re scripserunt, multum abest, ut jam omnia explanentur.

Primum quidem in hac disceptacione duæ instituendæ sunt partes : altera antiquioribus, altera rebus ad æquales spectantibus tribuenda est.

In posteriore parte secernenda sunt nobis ea, quæ ante Saxonem, ab illis, quæ eo vivente acta sunt. Si quæ non ante oculos ipsius gesta sunt, ita se habebat, ut vel ab Absalone, quem alioqui ad testimonium persæpe vocat, de minimis rebus certior fieri posset, vel ab optimatibus ejusdem aulam celebrantibus, quibus profecto, tanquam præpotentis episcopi familiaris, ipse familiarissime utebatur.

Ceterum hoc præcipue lectorem, ut primum animum habuerit intentum, vel levissimum percutiet : quarto decimo libro plus quam quartam operis totius partem, cvc scilicet paginas ex DCLXXV, uno effectam fuisse; initium vero habere paulo ante Waldemarum Magnum atque ante mortem ejusdem finem capere. Manifeste apparet opus auctoris tantum arbitrio ita divisum esse. Quivis enim alius omnia æque divisisset capitulatim, aut Waldemari regis totum regnum in eodem libro inclusisset. Quo ex facto haud immerito, nostra quidem senten-

Digitized by Google

tia, illum quartum decimum librum, saltem ab eo tempore, quo de Absalone ipso agatur, separatum quasi corpus ducendum concludere cogimur.

Etenim Svend Aagesen, qui anno circiter MCLXXXVII scribebat, dixit Saxoni esse in animo, regnum Svenonis Estridssen, a plebe « Kongfaderen » propter permultos liberos cognominati, filiorumque ejus memoriæ tradere. Ita iisdem temporibus neque undecimus, neque duodecimus, nec tertius decimus liber compositus erat. Idem de novem prioribus libris dicendum : qui si scripti fuissent, certe non moleste tulisset, majorum egregie facta oblivione esse sepulta. Aagesen tamen Saxonem tanquam mirum rerum scriptorem æstimat : quod non fieri posset, decimo quidem libro velut commissuram tantum præbente, si quartus decimus liber nondum scriptus fuisset.

Quibus expositis, totius operis summam eo modo conceptam esse judicare debemus : Saxonem, unum e comitibus Absalonis, sive libidini inservientem, sive admiratum res, prout evenerint, chronicos libros in diem scripsisse ; episcopum vero, ut primum eos noverit, miratione captum, iis animum intendisse, clericumque suum hortatum, ut in unum corpus redigeret : ipsum et documenta præbuisse fragmentaque forsitan ex toto dictasse, præsertim cum narranda esset series illorum casuum intra præteritos hos viginti annos, qui uni Waldemaro regnum detulerint.

Deinde, cum in historia omnia arctius conjungantur, a Svenone Estridssen atque etiam altius res repetendæ sunt. Tunc sine dubio episcopus illo tempore clerico suo conficiendum opus commisit, quod omnes abnuebant, « ceteris operam abnuentibus », eumque totius nationis historiam immutabili lingua scribere jussit.

Digitized by Google

Assumptis igitur (de quo tamen nobis nihil tradit), nonnullis documentis, quæ in proximo habere poterat, adhibita præsertim veterum memoria, qui, ut ait Adamus Bremensis de rege Svenone (1), omnem temporum historiam quasi scriptam in mente servabant, ad fores præteriti temporis Saxo pervenit. Ante has clericos historicos præstrinxerat horror; quas tamen Svend Aagesen, curiosus investigandi, paululum aperuerat : Saxoni vero uni tam liber animus fuit, ut eas omnino apertas faceret.

Tunc partem eam suscepit, quæ novem priores libros continet.

Quo jam a tempore non eodem fonte utitur.

Novimus quidem quæ gentilia documenta exstarent; erant quoque aliis oriundi gentibus scriptores, a quibus materies sumenda fuisset. Eos autem aut ignoravisse, aut despexisse Saxo videtur. Semel tamen, primi libri ab initio, de Dudone, « rerum Aquitanicarum scriptore » (2), facit mentionem; tum etiam longius verba Bedæ, quem forte imitari ipsi in animo est, sequitur : « Testis est Beda (*Hist. eccl.*, I, 15, sqq.) non minima pars diuini stili, qui in Anglia ortus, sanctissimis suorum uoluminum thesauris res patrias sociare cure habuit, eque ad religionem pertinere iudicans, patrie facta literis illustrare et res diuinas conscribere (3). » In octavo denique libro, quo Longobardorum migrationem narrat, Pauli Diaconi auctoritate nititur (4).

Quod si plura ex iisdem illis historiarum auctoribus sumpsisset, aut ex aliis quibuslibet, non dubitandum, quin dixisset aperte.

(1) Lib. II, cap. XLI.
(2) *GD.*, I, p. 10.
(3) *Id.*, p. 10.
(4) *Id.*, VIII, p. 285.

Digitized by Google

Nam, ut ait, ex alio fonte haurit.

« Nec ignotum uolo, Danorum antiquiores conspicuis fortitudinis operibus editis, glorie emulacione suffusos, Romani stili imitacione, non solum rerum a se magnifice gestarum titulos exquisito contextus genere, ueluti poetico quodam opere, perstrinxisse, uerum eciam maiorum acta patrii sermonis carminibus vulgata, lingue sue literis, saxis ac rupibus insculpenda curasse. Quorum uestigiis ceu quibusdam antiquitatis uoluminibus inherens, tenorem que ueris translacionis passibus emulatus, metra metris reddenda curaui... (1). »

Et paulo longius :

« Nec Tylensium industria silencio oblitteranda : qui cum ob natiuam soli sterilitatem luxurie nutrimentis carentes, officia continue sobrietatis exerceant, omniaque uite momenta ad excolendam alienorum operum noticiam conferre soleant, inopiam ingenio pensant. Cunctarum quippe nacionum res gestas cognosse memorieque mandare, uoluptatis loco reputant : non minoris glorie iudicantes alienas uirtutes disserere, quam proprias exhibere. Quorum thesauros historicarum rerum pignoribus refertos curiosius consulens, haut paruam presentis operis partem ex eorum relacionis imitacione contexui : nec arbitros habere contempsi, quos tanta uetustatis pericia callere cognoui (2). »

Quod Tylensium proprium est A. Olrik, diligentissimo adhibito labore (3), explicare nuper conatus est : etenim postquam accuratissime animum intendit triplici recognitioni rei sermonisque et nominum, non modo testari voluit, vulgari sententia procul remota, Saxonem

(1) *GD.*, Prefacio, p. 3.
(2) *Id.*, p. 3.
(3) *Forsög paa en Tvedeling af Kilderne til Sakses Oldhistorie.*

Digitized by Google

tantum certe, immo et magis Tylensium famæ, quam Danorum debere, sed etiam demonstrare singulis paginis, quæ essent utrorumque. Non equidem miror Saxonem nonnullos Tylenses aulam regis Waldemari celebrantes notos habuisse totamque operam adhibuisse, ut omnia, quæ tenerent, ex iis reciperet. Testem habeo unum illum « Arnoldum Tylensem » ex « Absalonis clientela », de quo hæc scripsit : « nec minus antiquitatis quam diuinacionis peritus, sollerti historiarum narracione callebat (1) ». Ex eo uno omnes investigationes, quas Tyle oriundas putet, Saxonem retinuisse, intermissis etiam Danis quibusdam, A. Olrik judicat. Nobis autem haud facile credendum est, Saxonem, dum scriberet, vel tantummodo historias componere vellet, virum juxta viventem, sibi jam scientia et industria spectatum, non interrogavisse.

Nonne, cum apud Waldemarum regem, cum apud Absalonem in aula, aut in castris, plures Norvagienses inveniendi nostro Saxoni copia fuit, quibus eædem res fama traditæ æque ac Tylensibus notæ essent?

Dom. Prof. Dr Joh. Steenstrup (2), tributa certe A. Olrik æqua gratia, optime demonstravit, illum nimio plura confirmare volentem, extra propositum processisse.

Manifesto Tylensibus partem operis sui, nec minimam, Saxo, neque dubitavit ipse confiteri, debet : quo audito, superest tamen eum præcipue e Danico fonte hausisse. Ille sane e runicis inscriptionibus documenta, perpauca tamen, assumpsit. Ea igitur, quæ verbis traduntur, secutus est. Non dubium est, quin nonnulli fuerint inter sodales ejus, qui, Tylensis Arnoldi instar, « sollerti

(1) *GD.*, XIV, p. 594.
(2) *Saxo Grammaticus og den danske og svenske Oldtidshistorie.*

Digitized by Google

historiarum narratione » eminerent. Ceterum ipse et propter vividum carminum studium et avidum investigandi ingenium, omnes illas fabulas, quas unaquæque civitas quasi nobilitatis suæ proprias servaret, omnesque illas mirificas narrationes, quibus hominum mentes in heroum et semideorum sedes raperentur, sedulo exquirere debuerat. Quare haud immerito prædicare possumus, nonnullas harum fabularum ab eo in Historias insinuatas esse. Fama autem ad eum diversa etiam sub forma, « patrii sermonis carminibus » (1), pervenire debuit : pleraque enim eorum carminum adhuc per ora hominum volitabant, quanquam pauca forsitan collecta esse poterant. Quibus usque ad hunc diem nondum ulla diligentia intenta est : nobis contra videtur, illa carmina et in re ipsa et in forma nonnihil auxilii ad opus ejus exigendum attulisse.

(1) *GD.*, Prefacio, p. 3.

Digitized by Google

Digitized by Google

PARS PRIOR

Digitized by Google

Digitized by Google

I

QUÆ SIT MATERIES PRIORUM LIBRORUM APUD « GESTA DANORUM »

Dan et Angul, ex Humblo patre procreati, secundum Saxonem, conditores fuêre, hic Anglorum, ille Danorum gentis. Danum excepêre duo filii : prius Humblus populi concione electus est ; mox autem regnum Lothero fratri, qui rebellaverat armisque præstiterat, relinquere coactus est. Hunc excepit Scioldus filius. A quo vero Svend Aagesen historiarum ducit initium ; nam eumdem primum Danorum regem fuisse accepit. Ceterum pauca de eodem nobis tradit : affirmat tamen patriam ab eo et defensam et auctam fuisse et in Tylensium carminibus reges « Scioldungar » appellatos esse. Cui Saxo quinquaginta circiter lineas tribuit. Secundum Aagesen heredes regni sui Frothonem et Haldanum filios Scioldus habuit. Haldanus autem, interfecto fratre, unus rex substitit. Neque plura de eo tradit. Saxo post Scioldum regnum in ordine tribuit Gram et Hadingo, quorum egregie facta quinque et viginti paginis, subeuntium autem, Frothonis et Haldani, decem circiter complentur.

Ita de iisdem rebus vix octo paginas Aagesen, Saxo autem quinquaginta circiter scripsit.

Cur illis tam inæquale detur spatium, sola rhetorum arte non plane exponitur.

Qua igitur ratione libuit Saxoni vel in serie regum æqualis sui rimas explere, vel tam copiose illustrare vitam principum, quorum ille nomina tantum cognovisse videatur ? Quæren-

Digitized by Google

tibus ut respondeamus, satis erit si attento animo regna eadem repetierimus.

Scioldi juventutem Saxo narrat : « Huius adolescencia inter paternos uenatores immanis belue subaccione insignis extitit, mirandoque rei euentu future eius fortitudinis habitum ominata est. Nam cum a tutoribus forte, quorum summo studio educabatur, inspectande uenationis licenciam impetrasset, obuium sibi insolite granditatis ursum, telo uacuus, cingulo, cuius usum habebat, religandum curauit, necandumque comitibus prebuit (1). » Postea adolescentiam nobis ante oculos proponit. « In quo annorum uirtutisque procursu, ob Aluildam Saxonum regis filiam, quam summe pulcritudinis intuitu postulabat, cum Scato, Allemanie satrapa, eiusdem puelie competitore, Teutonum Danorumque exercitu inspectante, ex prouocacione dimicauit : interfectoque eo omnem Allemannorum gentem, perinde ac ducis sui interitu debellatam, tributaria pensione perdomuit... » « Puellam, cuius amore conflixerat, acerrimo nupciarum emulo liberatus, in pugne premium recepit, eamque sibi matrimonio copulauit (2). » Inter hæc, eum, postquam quidquid præclare gessit, patefecit, inter patriæ conditores haud infimum, immo præstantissimum inter multos, demonstrat.

Scioldi filius, Gram, mirificorum facinorum seriem explet.

Roaris, educatoris sui, filiam, quam singulari ab parvulis prosequebatur amore, et æqualem et nutricis ejusdem alumnam, cum uxorem duxisset, mox Besso cuidam, strenuo commilitoni, dimissam mercedis loco in matrimonium tradit. Deinde, « cum forte Sueonum regis Sigtrugi filiam, Gro, gigantum cuidam desponsam cognosset, tam indignam regio sanguine copulam execratus, bellum Suethicum auspicatur, Herculee uirtutis exemplo monstrorum nisibus obstaturus (3). »

Nobis non est in animo repetere quot et quanta discrimina subeat, priusquam puellam ducat uxorem : hoc tamen animadvertendum legenti ducimus, jam in reliqua narratione,

(1) *GD.*, I, p. 11.
(2) *Id.*, p. 12.
(3) *Id.*, p. 13.

Digitized by Google

nullam de gigante, cui promissa fuisset puella, mentionem factam esse. Etenim adversus regem ipsum bellum gerit, superatis omnibus obstantibus, interfectisque latronibus, qui eunti obviam surgunt, ipsum occisuri. Deinde, cum ab aruspicibus accepisset, « nisi auro Sigtrugum superari non posse, continuo lignee claue nexilem auri nodum adiecit, eaque bello, quo regem aggrediebatur, instructus uoti se compotem fecit (1) ».

Tanquam de Scioldo opinetur quivis narrationem ad finem adductam esse ; Saxo autem hæc addit :

« Alia quoque complura Gram regis facinora fuere. Aduersus Sumblum Phinnorum regem bellum professus, ad aspectum filie eius Signes depositis armis, ex hoste procus euasit, eamque promisso coniugis sue repudio pactus despondit. Quam cum, bello Noruagico, quod aduersum Swibdagerum regem ob sororis filieque stuprum susceperat, admodum occupatus, Saxonie regi Henrico Sumbli perfidia in matrimonium promissam nuncio didicisset, propior uirginis, quam militum caritati, relicto exercitu tacitus in Phinniam contendit, inchoatisque iam nupciis superueniens, extreme uilitatis ueste sumpta, despicabili sedendi loco discubuit. Rogatus quidnam afferret, medendi solercia profitetur. Ad postremum, omnibus ebrietate madentibus, puellam intuens, mediis perstrepentis conuiuii gaudiis per summam feminee leuitatis execracionem maximamque uirtutum suarum gloriacionem, indignacionis magnitudinem huiusmodi carmine patefecit :

Solus in octo pariter spicula mortis egi...

« Et cum dicto discubitu euolans Henricum inter sacra mense et amicorum complexus obtruncat, sponsamque mediis abstractam pronubis, magna conuiuarum parte prostrata, secum nauigio deportat (2). »

Tunc, de more, exacta narratione, hæc brevia Saxo recogitat : « Igitur nupciis in exequias uersis, doceri Finni potuerunt, alienis amoribus manus iniici non oportere. »

(1) *GD.*, I., p. 17.
(2) *Id.*, p. 19.

Digitized by Google

Filii vero Gram Hadingi vita, multo pluribus jactata curis, casus multo magis miros præstat.

Cum enim in Suetia a Vagnophto et Haphlio gigantibus educatus esset, Harthgrepa prioris filia, gravi amore capta, eum fere invitum ad nuptias compellit : namque affirmat se, si majore specie quam humana deterritus sit, ad communem mortalium formam devenire posse. Tunc, comitante conjuge, domum devertitur. Cum iter facerent, quodam die sub vesperum, in domum quamdam ingrediuntur pernoctandi causa. Ibi dominus nuper finierat vitam. « Harthgrepa, magice speculacionis officio superum mentem rimari cupiens, diris ad modum carminibus ligno insculptis, iisdemque lingue defuncti per Hadingum suppositis, hac voce eum horrendum auribus carmen edere coegit. Sequitur carmen magice editum :

Inferis me qui retraxit... (1) »

At defunctus ille Hadingo prædixit, proximam fore ipsius cum dæmonibus congressionem ; atque istam inde perituram, quæ Manem ex interiore terra, ut iterum conspiciendos ipsi solis radios præberet, jussisset educi. Atque ita profecto evenit.

« Spoliatum nutrice Hadingum grandeuus forte quidam, altero orbus oculo, solitarium miseratus, Lisero cuidam pirate solemni paccionis iure conciliat... Quo pacto Liserus et Hadingus arctissimis societatis uinculis colligati Lokero, Curetum tyranno, bellum denunciant. Quibus superatis fugientem Hadingum predictus senex ad penates suos equo deuehendum curauit, ibique suauissime cuiusdam pocionis beneficio recreatum uegeciori corporis firmitate constaturum predixit. Cuius augurii monitum huiusmodi carmine probauit :

Hinc te tendentem gressus profugum ratus hostis
Impetet, ut teneat uinclis faucisque ferine
Obiectet depascendum laniatibus : at tu
Custodes uariis rerum narratibus imple ;
Cumque sopor dapibus functos exceperit altus,
Iniectos nexus et uincula dira relide.

(1) *GD.*, I, p. 22.

Digitized by Google

Inde pedem referens, ubi se mora paruula fundet,
Viribus in rapidum totis assurge leonem,
Qui captiuorum iactare cadauera sueuit,
Inque truces armos ualidis conare lacertis,
Et cordis fibras ferro rimare patenti.
Protinus admissa uapidum cape fauce cruorem ;
Corporeamque dapem mordacibus attere malis.
Tunc noua uis membris aderit, tunc robora neruis
Succedent inopina tuis, solidique uigoris
Congeries penitus neruosos illinet artus.
Ipse struam uotis aditum, famulosque sopore
Conficiam et lenta stertentes nocte tenebo.

Et cum dicto relatum equo iuuenem pristino loco restituit. Tunc Hadingus amiculi eius rimas, sub quo trepidus delitebat, per summam rerum admiracionem uisus perspicuitate traiiciens, animaduertit equinis freta patere uestigiis, prohibitusque rei inconcesse captare conspectum, plenos stuporis oculos a terribili itinerum suorum contemplacione deflexit (1). »

Jam Saxo Hadingum in Orientis quasdam partes bellaturum emiserat ; at repentina libidine, statim, in hac parte, historiunculam quamdam de Othino narravit, quæ ne minimi quidem est momenti ad explendam operis rationem.

Hadingus rursus adest. Inde adversus Asmundum fit prælium, qui victus est atque necatus. Sed illi in eo prælio dii quidam adfuerant auxiliares. Postea, in certamine adversus Uffonem, Asmundi filium, in quo aderant utrinque dii, ipse devictus aufugit Hadingus atque se in Helsingiam recepit : « ibique (cum) solis feruore percalefactum corpus frigida maris aqua sublueret inauditi generis beluam crebris ictibus attentatam oppressit, necatamque in castra perferendam curauit (2) ».

At illi femina quædam obvia fuit, a qua audivit se « unum e superis alieno corpore tectum » trucidavisse. Qua de causa, inquit femina,

« Seu pede rura teras, seu ponto carbasa tendas,
Infestos paciere deos, totumque per orbem
Propositis inimica tuis elementa videbis...

(1) *GD.*, I, p. 24.
(2) *Id.*, p. 29.

Digitized by Google

Neque falsa erat vaticinata : illi enim nulla postea res prospere evenit, donec suum nefas explevisset, diis magnopere sacrificando.

Statim res alia offertur.

« Cumque forte gigantum quendam Nitherorum regis Haquini filiam Regnildam pactum animaduerteret, indignam rei condicionem perosus, per summam future copule detestacionem ingenuo ausu nupcias precucurrit, Noruagiamque profectus, tam fedum regie uirginis amatorem armis oppressit... Auctorem beneficii puella crebris obtusum uulneribus, ignara, medendi cura prosequitur. Cuius ne noticiam sibi temporis interiectus eriperet, crus eius annulo uulneri incluso obsignatum reliquit. Eadem post modum a patre eligendi mariti libertate donata, contractam conuiuio iuuentutem curiosiore corporum attrectacione lustrabat, deposita quondam insignia perquirens. Spretis omnibus, Hadingum latentis annulo indicio deprehensum amplectitur, eique se coniugem donat, qui coniugio suo gigantem potiri passus non fuerat (1). »

Casus magis atque magis occurrunt mirifici.

« Apud quam diuersante[m] Hadingo mirum dictu prodigium incidit. Siquidem cenante eo, femina cicutarum gerula propter foculum humo caput extulisse conspecta, porrectoque sinu percunctari uisa, qua mundi parte tam recencia gramina brumali tempore fuissent exorta. Cuius cognoscendi cupidum regem, proprio obuolutum amiculo, refuga secum sub terras abduxit ; credo, diis infernalibus ita destinantibus, ut in ea loca uiuus adduceretur, que morienti petenda fuerant. Primum igitur uapide cuiusdam caliginis nubilum penetrantes, perque callem diuturnis adesum meatibus incedentes, quosdam pretextatos, amictosque ostro proceres conspicantur ; quibus preteritis loca demum aprica subeunt, que delata a femina gramina protulerunt. Progressique precipitis lapsus ac liuentis aque fluuium diuersi generis tela rapido uolumine detorquentem eundemque ponte meabilem factum offendunt. Quo pertransito binas acies mutuis uiribus concurrere contemplantur ; quarum condicionem a femina percunctante

(1) *GD.*, I, p. 31.

Digitized by Google

Hadingo, ii sunt, inquit, qui ferro in necem acti, cladis sue speciem continuo protestantur exemplo, presentique spectaculo preterite uite facinus emulantur. Prodeuntibus murus aditu transcensuque difficilis obsistebat ; quem femina nequicquam transilire conata, cum ne corrugati quidem corporis exilitate proficeret, galli caput, quem secum forte deferebat, abruptum ultra menium septa iactauit, statimque rediuiuus ales resumpti fidem spiraculi claro testabatur occentu. »

Jam iter totum perfecerat ad alterius mundi limina, cum sibi iterum nova certamina novaque bella obeunda fuerunt : pugnandum enim erat præsertim cum Uffone, qui paternæ necis ultor aderat et filiam suam « mire pulcritudinis » in nuptias illi promiserat, qui Hadingum interfecisset. Quo igitur eximio fortitudinis suæ præmio adductus, Thuningus quidam, Byarmensium quorumdam militum præfectus, certaminis fortunam tentare aggressus est.

« Quem excepturus Hadingus, dum classe Noruagiam preteriret, animaduertit in littore senem crebro amiculi motu appellendi nauigii monitus afferentem. Quem, repugnantibus sociis, damnosumque profeccionis diuerticulum affirmantibus, naue susceptum centuriandi exercitus auctorem habuit... (1). »

Pugnatur et, militibus inaudita ratione instructis, jam Hadingus superaturus erat :

« Tunc Byarmenses, arma artibus permutantes, carminibus in nimbos soluere celum letamque aeris faciem tristi imbrium aspergine confuderunt. Et contrario senex obortam imbrium molem obuia nube pellebat, madoremque pluuie nubilo castigabat obiectu. Victorem Hadingum dimissus senex, non ui hostili, sed uoluntario mortis genere consumendum predixit, clarisque bellis obscura ac longinguis finitima preponere uetuit. »

Uffo, cum adversarium vi vincere non potuisset, dolo necare statuit : at sua ipse perfidia oppressus cecidit.

At Hadingus, post paucorum annorum pacem, jam ipsi prægravem, nova bella obiret necesse fuit : quæ tamen recensere noluimus, celerius ultimam illius viri ætatem enarraturi.

(1) *GD.*, I, p. 32.

Digitized by Google

Qui, postquam sibi in somnis mortuæ uxoris simulacrum nocte ante oculos adfuerat, proxima statim luce mulierem somniorum interpretem adiit. At illa, ubi cognovit, quo viso simulacro fuisset exterritus, prædixit : regis filium hostibus maximo terrori fore, filiam autem esse perfidam, cujus insidias pertimescere deberet.

Res sane sagæ responso congruerunt.

Etenim Vluilda, regis filia, Guthormum, quocum erat nupta, se ipsa inferiorem omnino, utpote ignobili loco ortum, æstimabat ; atque inde jamdudum suam iniquam condicionem ægre ferebat. Virum ergo de usurpando regno hortata est. Ille jubenti uxori paruit, quæ patrem ad convivium vocavit. At Hadingus sub veste loricam induerat, satellitibus circum cenaculum compositis, qui, signo dato, irruerunt Guthormumque obtruncaverunt.

Attamen Hadingus, ut prædictum fuerat, mortem obiit.

Audierat enim Suconum rex Hundingus suum amicum Hadingum, Danorum regem, vita defunctum : omnes ergo optimates ad funebrem cœnam convocavit, in qua ipse, unde major fieret honor, pocula ministrare statuit. Sed in dolium concidit et periit mersus.

« Quo cognito Hadingus, parem ueneratori graciam relaturus, extinctoque superesse non passus, suspendio se uulgo inspectante consumpsit (1). »

Ibi finem capit primus liber.

Tot excerpti e Saxonis opere loci a legentibus jam nimio plures fortasse æstimati fuerunt, quamvis nobis de peculiari Saxonis facultate disserentibus omnino necessarii videantur. Quapropter e prima secundi libri parte hæc etiam non inutilia usurpavimus de Frothone rege, qui Hadingum patrem excepit.

Hadingus totam regiam pecuniam effuderat, neque erat Frothoni unde militibus ultra subvenire posset. Regi, in tanta rerum desperatione, obvius viator fortuito cantu auxiliatus est.

Is enim canebat :

« Insula non longe est premollibus edita cliuis,
Collibus era tegens et opime conscia prede.

(1) *GD.*, I, p. 37.

Digitized by Google

Hic tenet eximium, montis possessor, aceruum,
Implicitus giris serpens crebrisque reflexus
Orbibus et caude sinuosa uolumina ducens,
Multiplicesque agitans spiras, uirusque profundens.
Quem superare uolens clypeo, quo conuenit uti,
Taurinas intende cutes, corpusque bouinis
Tergoribus tegito, nec amaro nuda ueneno
Membra patere sinas; sanies, quod conspuit, urit.
Lingua trisulca micans patulo licet ore resultet,
Tristiaque orrifico minitetur uulnera rictu,
Intrepidum mentis habitum retinere memento;
Nec te permoueat spinosi dentis acumen,
Nec rigor, aut rapida iactatum fauce uenenum.
Tela licet temnat uis squamea, uentre sub imo
Esse locum scito, quo ferrum mergere fas est;
Hunc mucrone petens medium rimaberis anguem.
Hinc montem securus adi, pressoque ligone
Perfossos scrutare cauos; mox ere crumenas
Imbue, completamque reduc ad littora puppim.

Credulus Frotho solitarius in insulam traiicit, ne comitacior beluam adoriretur, quam atletas aggredi moris fuerat. Que cum aquis pota specum repeteret, impactum Frothonis ferrum aspero cutis horrore contempsit. Sed et spicula, que in eam coniecta fuerant, eluso mittentis conatu lesionis irrita resultabant. At ubi nil tergi duricia cessit, uentris curiosius annotati mollicies ferro patuit. Que se morsu ulcisci cupiens, clypeo duntaxat spinosum oris acumen impegit. Crebris deinde linguam micatibus ducens, uitam pariter ac uirus efflauit.

Reperte pecunie regem locupletem fecere (1)... »

Ita ex voluntate sua bellandi facultatem habuit. Omnibus postea iisdem dolis, quos aperuerunt rerum scriptores Normannorum bellandi morem describentes, usus et perverse et intemperanter abusus est. Huc atque illuc per totam Europam agmina sua induxit; idem vicissim et Curetes et Ruthenos superavit atque Hellesponticos, quorum rex victori filiam suam in matrimonium dare coactus est.

Sed in hujus regis vita ultimi dies ad rem nostram unice pertinent.

(1) *GD.*, II, p. 39.

Digitized by Google

« His gestis, regem in patriam regressum Scato quidam conuivio excipit, bellicis eius laboribus uoluptatis licenciam permixturus. Apud quem Frotho dum regio more stratis auro puluinaribus accubaret, per Hundingum quendam ad dimicandum prouocatus, quanquam conuiualibus mentem gaudiis impendisset, plus pugne propinquitate quam epularum presencia delectatus, duello cenam, uictoria duellum absoluit. In quo dubie salutis uulnere suscepto, rursum Haquini pugilis adhortacione perstrictus, prouocantis nece ulcionem irritate quietis exegit. Duos ex cubiculariis, palam insidiarum conuictos, ingentibus saxis affixos pelago obruit, ponderosum animi crimen annexa corporibus mole mulctando. Ferunt quidam Vluildam tunc ei insecabilem ferro uestem donasse, qua circumamictus nullo telorum acumine lederetur. Nec pretereundum, Frothonem contusis commolitisque auri fragminibus cibos respergere solitum, quibus aduersum familiares ueneficorum insidias uteretur. Hic dum Regnerum Suetie regem, falso prodicionis insimulatum, bello lacessit, non telorum ui, sed armorum pondere et corporis estu strangulatus interiit, Haldano, Roe et Scato filiis relictis (1). »

Deinde Saxoni placuit, eodem enarrandi studio uso, libros magis magisque amplificare, quoniam libentissime disseruit de multis aliis regibus (quinquaginta fere numero) usque ad Gormi majoris regnum : neque neglexit plurimos principes ducesque e diversis Scandinaviæ regionibus ortos, quorum facinora magnificentissimis verbis exposuit.

(1) *GD.*, II, p. 51.

Digitized by Google

II

MATERIES EADEM IN CARMINIBUS POPULARIBUS REPERITUR: EÆDEM FABULÆ ET EADEM BARBARARUM GENTIUM PICTURA.

Ex novem primis libris operis, cui titulus *Gesta Danorum*, loca complura, quæ profecto nos nostrum ad propositum celerius adduxissent, passim eligere potuissemus: at, cum vellemus ab hoc argumento quidquid liberius videretur distrahere, satius existimavimus opus a principio aggredi, inde aliquantisper persecuturi gradatim. Epitomen inceptam possimus sine intermissione peragere: sed ubique eidem occurramus materiæ, vix adjectis paucis rebus novis.

Quæ vero materies, continuo hoc perspiciat facillime quicumque paulo longiore consuetudine animum fabulis et carminibus popularibus apud Scandinavos intendere studuit, tota in his reperitur.

Non hic nobis res est cum fabulis: monebimus tamen — neque nullius momenti est id retinere — multas jam nunc, reipsa, esse reductas ad fasciculum margaritarum, quas olim cantus in unum poeticum corpus redigeret. Summum inde, occasione data, rerum quarumdam memoriam ceterum obsoletarum repetemus.

Quo facilior et fidelior sit comparatio, quam instituere nobis in animo est, Saxonis cum popularibus carminibus, per singulos circulos ordiamur, vicibus alternis et ad deos et ad viros nos applicantes.

Deos figuram, qualiscumque sibi placeat, induere posse jam vidimus. Quæ fides ab hominibus vel admodum priscis

Digitized by Google

accepta est. Si quidem in carminibus, quæ peculiariter habentur popularia, subobscura est, fabula Hadingi deum jugulantis, qui opinetur sibi rem esse tantum cum « inauditi generis belua » (1), mira cum subtilitate revocat fabulam Völsunga-Sagæ (2) : Otr, lutræ figura, occisus a Loko qui, ad cædem mercede solvendam, coegit Andvarum pumilionem, ipsum et figura lucii, sibi fatalem thesaurum tradere. Si mercede non solvisset, neque Lokus, neque Anses dii, ejus comites, Othinus et Hoenir, libertatem suam recepissent ; eodemque pacto Hadingum ubique et indesinenter prosecutum esset fatum, si deos, suam ei ob cædem infensos, piaculis Uppsalæ in æde in ipsorum honorem factis non placâsset.

Fabulam utramque, in ea re, fortuito congruere haud facile credas, præcipue, cum nos non fugiat Eddam carminibus popularibus prioribus plerumque fundatam.

Dii jam nunc, animalium figura posthabita, humanam sibi induxêre, neque quidquam ex priore natura retinent, nisi studiosissimum falsi habitus appetitum : ea de re popularia carmina cum narratione Saxonis congruunt.

Haud semel nobis, in locis jam citatis, Othinus apparuit ; quin multis adhuc in rebus intercedat ipse non sit dubium ; semper autem tanta latet arte, ut Saxo et ipse deum non agnoscat.

Senex ille, qui semel atque iterum Hadingum ex re difficili expediit ; viator ille, nescio quis homo, qui Frothonem edocuit, quo ex loco aurum hauriret, nonne senex est ille ipse, qui, sub vesperum, primis se obtendentibus tenebris, a Steinfin Fefinson (3) hospitium petitum venit et pro mercede hospitem monet, qua ratione ad horrida tesca, trans orbem terrarum, ubi sedeat gigas, qui ipsius sorores rapuerit, advenire liceat ? Nonne Othinus est erro ille, qui, Natalis nocte vigilantibus, fores Essbjörn pulsavit, domi quoque noctem exacturus (4) ? Intra, dixit Essbjörn,

Si vero uspiam aurum rutilans nôris, — mihi est indicandum !
Majori pondere — quam possident quindecim reges : — neque diu fruitur vita, — quisquis aurum sitit.

(1) *GD.*, I, p. 29.
(2) Cap. XIV.
(3) *NF.*, n° 4.
(4) *SFs.*, n° 8.

Digitized by Google

Similitudinem non esse mediocrem quis non fateatur?

Apud Saxonem, Othinus, ut et ceteri dii, interest in præliis ; in carminibus item. Ubique vero viros fortes, qui eum distineant, reperias. Immo ubique præstat idem illud signum, dolus scilicet, quam merito perfidiam fraudemque dicamus.

Asmundus certat cum Alf (1), a quo antea defecit ; jamjam morituras, deum ad auxilium vocat :

« Audi, Othine, Ansium rex, — huc ades ! — Et duodecim nummos aureos — tibi dabo. »

Senior deus, altero oculo orbus, adest obvius Alf. Simulans se cadere, subrepit sub hostem ; post, assurgens, aversum mortifero ictu ferit.

Conferendum est carmen id cum narratione Saxonis.

Haraldum, jam cæcum et seniorem, Othinus, qui, antehac, haud dubie ei fuit præsidio, postquam induit figuram Brunonis, unius ex ipsius ineundorum consiliorum suasoribus, impellit ad bellum, in quo mortem oppetet. Furit pugna. Rex jam senior, « ut erat falcato curru uectus », percontatus, subito ex iis, quæ suasor, quo simul et auriga utitur, promit, hunc ipsum agnoscit deum oratque, « uti Danis, quibus ante clementer affuerit, supremam quoque uictoriam tribuat, complementumque beneficii origini exequaret, eidem se prostratorum manes muneris loco dedicaturum pollicitus. At Bruno, nihil obsecrantis precibus motus, repente excussum curru regem arietauit in terram, ereptamque cadenti clauam in ipsius caput detorsit, proprioque eum gestamine interfecit » (2).

Rebus quidem singulis nonnihil discriminis subesse ; sed utroque in casu intimam naturam superesse funditus eamdem reperias.

Postremo memoriam repetamus, documento alius generis usi, ad magicam tempestatem, quam Othinus, Hadingo auxiliatus, in Byarmenses excitat (3) : nec minus illa fuit præsens, quæ classem « Jomsvikingar » submersit, postquam rex Norvagiensium, afflictis rebus, suum ipsius filium deæ formi-

(1) *FK.*, n° 1.
(2) *GD.*, VIII, p. 263.
(3) *Id.*, I, p. 32.

Digitized by Google

dandæ Guthrún Illgerdhsfrú (1) immolaverat. Eodem modo, quanquam contraria de causa, Wicarus et Starcatherus piratæ, « cum quodam in loco diutina tempestatum seuicia uexarentur, ita uentis nauigacionem frustrantibus, ut maiorem anni partem quieti tribuerent, deos humano sanguine propiciandos duxerunt (2) ».

Carmina de diis, quæ ad nostram ætatem perpauca pervenerint, minimam modo, jam a Saxonis temporibus, historico scriptori opem afferre potuisse compertum est. Nova Christi fides cum omni ope enisa esset, ut illa carmina ex mente gentium penitus tolleret, dubios tantum quosdam susurros, quorum originem cognoscere semper non licet, Saxo noster excepit. Dii tamen, quos celebrant prisci gentiles apud Saxonem, vel Evhemeri more agere tentantem, notabilius, istæc res est maximi momenti ac ponderis, perstiterunt, quales videntur in carminibus popularibus.

Post deos monstra succedunt humanumque modum excedentia animantia, naturæ scilicet Genii.

Unum hoc autem, apud Saxonem, nobis mentem commovet : Elfas scilicet Nixasque, quæ contra tam graves personas agant in carminibus, penitus abesse. Procul dubio, Genii isti, servandis aquis nemoribusque præpositi, erant adhuc tempore, quo vivebat, rusticis gratiosiores, quam ut eos, expertus vanitatem, interponere inter narrandum posset.

Mentionem facit de sylvarum satyro, cujus de natura nobis non satis constat. Seu Elfa, seu pumilio, sive gigas trollusve quilibet, Mimingus (3), — hoc nomen usurpat animans illud arcanum — retinet uspiam, intimis in montibus, ensem, quo uno obtruncetur Balderus. Gevarusque Hotherum, qua usus ratione in illam inviam sedem se conferre telumque mirum occupare possit, monet. « Iubet itaque, ceruis iugalibus currum instruat, cuius celeritate eximio gelu rigencia iuga transcendat. Quo cum peruenerit, tabernaculum suum ita a sole auersum constituat, ut umbram specus, cui Mimingus assueuisset, excipiat, nec ipsum mutua tamen obumbracione contingat, ne Satyrum insolite obscuritatis

(1) *FK.*, n° 7.
(2) *GD.*, VI, p. 184.
(3) *Id.*, III, p. 70.

Digitized by Google

iactus exitu deturbaret (1). » Istæc mandata singulariter iis mandatis congruunt, quæ Steinfin Fefinson exsequi jussit senex sub vesperum hospitio exceptus in noctem :

Du lægge deg under fola halsi,
Og ser deg ut sá vide,
Nær folen hneggjar sem skrömtinne sér
Sá má du hasteleg ride (2).

Inde Mimingum ex numero gigantum et ipsum exstitisse libenter concludamus.

Saxo multos ejusdem generis in Historia sua excepit : cunctique, quo in carminibus gigantes, eodem admodum apud scriptorem effinguntur habitu. Amantes genitorum ex hominibus, quos tamen raptos servare nequeunt, innumeras detinent opes ; quippe qui reipsa meri sint Genii ideoque illic, ubi non lucet sol, id est, media in terra, sedes habeant, sedes Geniorum mortuorumque. Fabula de Harthgrepa gigante femina (3), a suis occisa, quia defunctum quemdam redire in terram coegisset, est, ea de re, admodum insignis.

Quod si vero ad homines descendamus, similitudinem et pluribus simul locis et exactiorem comprehendas.

Vir absolutus perfectusque, auctore Saxone, eminet præsertim his signis : a pueris, insolitas præstat vires ; aut suadente animante quodam, vel arcano, vel propiore diis, occidit draconem, servantem innumeras opes, quas occupat. Post, iter ingreditur paraturus regiam virginem, quam cum monstro aut giganti eripit, tum et æmulo, manibus consertis.

Haud dissimilis, immo admodum unus et idem, offertur vir gratiosissimus carminibus popularibus : Sigurdus et quicumque Sigurdi simillimi.

Is enim, æque ac Scioldus (4), a pueris mirarum virium indicia præstitit.

Cum in campo exercitationis esset, — mediis in catervis pugnantium, — ecce, avulsa quercu valida, — illos ad necem contundit (5).

(1) *GD*, III, p. 71.
(2) *NF.*, n° 4, str. 16.
(3) *GD.*, I, p. 22.
(4) *Id.*, p. 11.
(5) *SK*, n° 1, str. 39.

Digitized by Google

Quod documentum, ex carminibus insularum Ferogiarum excerptum, non idem profecto esse, quod Saxonis de Scioldo, concedo. Saxo vero alias, fabulæ istius non immemor, de Haldano dicit : « Cumque per opacam forte nemoris indaginem graderetur, herentem obiter quercum humo radicibus eruit, solisque spoliatam ramis in solidam claue speciem transformauit (1), » et altero loco : « Mox quercu succisa atque in claue habitum reducta, solus cum XII manum conseruit eosque spiritu spoliauit. »

Rivur upp eikikelvi stor,
Hann lemjir summar til heljar (2).

Singulas res, facinora singula, quæ referunt carmina de Sigurdo, deprehendimus apud Saxonem, tum ad hunc virum, cum ad illum pertinentia.

Sigurdo est mirus equus, Grani nomine, oriundus ex insigni Othini equo : Hadingus a deo ipso transfertur in equum terrestri generi ignotum, qui, ut referunt complures fabulæ, æque terra graditur ac mari (3). Gram, cum duxisset filiam Roari sui educatoris, eamdem Besso comiti conjugem donavit (4) ; refert carmen Danorum :

Syfvert possidet equulum — validis adeo viribus ; — edidit ferocem Brynhildam ex Vitreo Monte — in lucem solis.
Edidit ferocem Brynhildam ex Vitreo Monte — in lucem solis : — eam dedit Hagano, forti viro, — suo commilitoni (5).

Sigurdus tutus est ab omni ictu : hinc Frotho « insecabilem ferro uestem » gestat (6), neque Balderus (7) vulnerari potest nisi ense illo, quem intimis in silvis conditum detinet Mimingus ; Haraldus illinc, quem dictitabant ab Othino oriundum, in tali apud deum erat gratia, ut « integritatis eius habitus ferro quassari non posset ».

Quæ omnia num reputanti fortuito concurrere videantur ? In libro sexto, Fridlevus, Frothonis instar, occiso dracone,

(1) *GD.*, VII, p. 222.
(2) *SK.*, n° 1, str. 39.
(3) *GD.*, I, p. 24.
(4) *Id.*, p. 12.
(5) *DgF.*, I, n° 3, str. 1-2.
(6) *GD.*, II, p. 50.
(7) *Id.*, III, p. 70.

Digitized by Google

summam refert famam. « Interiecto quoque tempore Frœgertham adeptus, dum patriam parum prospera nauigacione repeteret, ignote insule littoribus appulsus, thesaurum humi conclusum effodere custodemque eius draconem, uitandi ueneni gracia, bouino tergore tectus appetere cuiusdam per quietem conspecti monitu[m] perdocetur, intentumque scuto corium uenenatis dencium morsibus obiectare precipitur. Igitur experiende uisionis causa anguem undis emergentem adortus, diu in squameum latus irrita tela coniecit; quippe spiculorum impulsum crust[r]ata corporis duricies frustrabatur. Ipse uero coluber, crebras ad modum spiras agitans, orbiculato caude flexu tactas obiter arbores stirpitus euertebat... Ceterum, crebro corporis tractu cauata ad solidum humo, preruptum hinc inde latus effecerat, ut quibusdam in locis aduersos colles media ualle sequestrari conspicimus. Igitur Fridleuus, inuicta belue suprema considerans, ima gladio tentat, perfossaque inguinis parte saniem palpitantis elicuit. Qua extincta, pecuniam hypogeo erutam nauigiis deportandam curauit (1). »

Quæ fabulæ, tum in sexto, cum in secundo libro, unum et idem penitus sonantes, adjectis rebus quibusdam variis, sibi invicem supplementum addunt. Singulas autem eas res, ne una quidem excepta, reperimus in carminibus popularibus. Viator ille ignotus, cujus carmine monitus fuit Frotho, somnium illud, quo docetur Fridlevus, nonne eas agunt partes, quas Reginnus faber ferrarius? Is enim non faciebat finem impellendi Sigurdum, ut in tesca Glitra se conferret occideretque Fafnir draconem, occupaturus inde thesaurum tanto ibidem studio servatum. Ut apud Saxonem, sic et in carminibus, utendum est, ad jugulandum draconem, singularibus prudentiæ condicionibus, quas heros a seniore ipsi consulente docetur :

Venit homo per pratum, — neque quisquam eum nôrat : — unum oculum ferebat media in fronte, — arcum Finnicum manu gestabat (2).

(1) *GD.*, VI, p. 181.
(2) *SK.*, n° 1, str. 94.

Digitized by Google

Is est, neque est quod erres, senex idem, cui jam identidem occurrimus,

. . . . . Qui uulgo dicitur Othin,
Armipotens, uno semper contentus ocello (1).

Quo habitu Saxo, facinus Fridlevi referens, monstrum effingit, eodem, et mirum in modum, quantumvis vario, carmen :

Cataractes triginta ulnas erat latus — quo in imo sedebat monstrum ; — ejus alæ in summo videbantur, — latera rursus jacebant in imo.
Ejus alæ in summo videbantur, — latera rursus in rupe jacebant ima : — is erat Sigurdus fortis, — vibravit ensem (2).

Altera ex parte, Frotho et Fridlevus et Sigurdus draconem eodem, ut ita dicam, puncto temporis eodemque rerum statu nanciscuntur :

Draco assurrexit ab auro, — fama vagabitur late ! — Sigurdus vehitur « Grani », — ecce progreditur (3) !

Quod Völsunga-Saga subtilissime significat his : « Nu ridha their Sigurdhr ok Reginn upp á heidhina á thann farveg, er Fáfnir var vanr at skridha, er hann fór til vatns (4) » ; et ante sagam carmen eddicum : « Sigurdhr ok Regenn fóro upp a Gnitaheithe ok hitto thar slóth Fáfnes, thá er hann skreith til vaz (5). » « Sigurdus et Reginnus, cum se ad tesca contulissent, vestigia Fáfnir ad aquas tendentis nacti sunt. »

Neque Frotho, neque Fridlevus idem faciunt, quod Sigurdus, qui, libato Fáfnir corde, interpretandæ avium linguæ miram facultatem adeptus est : sed Hadingo cum, jubente Othino, deturbati leonis bibisset sanguinem carnemque edisset, continuo omnes in artus successit novum robur : huc certo, sibi servando sanguine draconis fratris, tendebat Reginnus.

Monstri obtruncati opibus Frotho et Fridlevus naves suas complent ; Sigurdus Grani dorsum oneravit.

(1) *GD.*, II, p. 66.
(2) *SK.*, n° 1, str. 108-109.
(3) *Id.*, str. 106.
(4) Cap. XVIII.
(5) Reginsmal.

Digitized by Google

Duodecim capsas auro plenas super imposuit — utroque ab latere ephipii ; — insuper sedit ipse, — ut mihi relatum est (1).

Res de dracone argumentum est mythicum, quod hic interpretandum non arbitramur. Qua ex forma, prima sane omnium, altera brevi fuit exorta, quæ prioris quidem in locum non successit, perstitit autem, nunc omni ab parte cohærens et ad eumdem pertinens virum, nunc liberior diversisque viris agentibus.

Ibi in vicem thesauri subit virgo.

Fabula, hanc in formam mutata, ternas continuas experta est vices, gradatim imminutas, quarum exempla, Saxone auctore, ad nos exstitere, neque pauciora, neque minus studio digna, quam carminum popularium.

Notandum est primo loco facinus, quod Regnero cognomen Lothbrog attulit.

« Interea rex Sueonum Herothus, siluas forte uenacione complexus, repertas a comitibus angues filiæ detulit nutriendas... Que cum adulte pestilentissimo alitu uiciniam urerent, rex, inertis opere penitens, potiturum filia, qui pestem amouisset, edixit... Cuius rei summam Regnerus ab intermeantibus expertus, laneum a nutrice sagulum uillosaque ad modum femoralia, quibus inflictos anguium morsus elideret, expetiuit. Nam ut munimenti gracia referto pilis cultu utendum credidit, ita agilitatis causa tractabilem sumpsit. Cumque nauigio Suetiam appulisset, incidente gelu, aquis de industria corpus iniecit, humefactamque uestem, quo minus penetrabilis redderetur, brume durandam prebuit. Qua amictus, salutatos comites ad fidem Fridleuo seruandam hortatus, solus procedit ad regiam. Qua uisa, ensem lateri nectens, dextre telum inserit amentatum. Procedenti inusitate magnitudinis obuius allabitur serpens. Huic alter granditate par priorisque prolapsum insecutus arrepsit. Qui iuuenem modo caude uoluminibus quatere, modo pertinaci uomitu ac ueneno conspuere decertabant. Interea aulici tuciora complexi latibula, perinde ac pauentes puellule rem eminus inspectabant. Ipse rex, pari metu perterritus, in angustum cum paucis conclaue refugerat. At Regnerus, gelati cultus duricie fretus,

(1) *SK.*, nº 1, str. 127.

Digitized by Google

non armis modo, sed eciam amictu uirulentos frustrabatur assultus, solusque duarum rictum pertinaci spiritu uirus in se profundencium infatigabili congressione sustinuit. Quippe morsus clypeo, uenenum ueste respuit. Ad ultimum excussum manu telum strennue incessencium se beluarum corporibus adigit, eoque utriusque precordia lacerans, felicem pugne euentum habuit. Cuius cultum rex curiosius contemplatus, cum hirtum atque hispidum animaduertisset, precipue tamen occidue uestis horrorem, maximeque incomptam braccharum speciem eludens, Lothbrog eum per ludibrium agnominauit. Quem eciam, ut ex laboribus recrearet, cum amicis epulaturum accersit. Ille prius reuisendos sibi, quos reliquerat, arbitros aiebat. Profectusque eosdem future epulacionis gracia nitidius cultos adducit. Ac demum peracto conuiuio prefixum uictorie pignus accepit (1). »

M.-B. Landstad in Norvagia (2), V.-H. Hammershaimb (3) in insulis Ferogiis retulerunt, uterque sua ab parte, carmen quoddam narrationi Saxonis mirum in modum congruens.

Libet ne aures præbere? — En ego vobis canam — de rege, qui regnat in Upplandia : — cui est filia adeo formosa!

In turri pulchra sedet Borgarhiörd, — formosior sole: — illa alitum omnium linguam intelligit.

Virgo, mane quodam, ad ortum solis, exierat, duodecim comitantibus puellis, in nemus ambulatum. Quæ cum, paululum acquiescendi causa, sedissent, anguem in herba conspexêre ad pedes, ablatumque domum retulêre. In regiam cum intrassent, puella in capsa anguem reposuit. Brevi vero vastus adeo crevit, ut, cum in exedra contineri nequiret, sit elatus foras. Amplior jam tunc factus, obvolutus est turri, capite super cauda reposito. Tum rex jussit tuba cani se, si quis obtruncâsset monstrum, ei nuptum collocaturum filiam. Quod cum comes in regione sua audisset, agmen comparavit. Priusquam autem adveniat, audito tantum anguis spiritu, contremiscit devertiturque domum. Idem audit Regnerus. Vestes pice illinit insuperque, ne quid mali ex

(1) *GD.*, IX, p. 303.
(2) *NF.*, p. 140.
(3) *SK.*, p. 59.

Digitized by Google

anguis veneno accipiat, sabulum injicit. Is quoque, priusquam appellat, inspirans monstrum audit. Suos se ipsum in littore opperiri jubet ; sed recusant omnes, comitandi ducis cupidi. Haud enim, conclamant, unius est viri, monstro recidere caput. Devenit ille ; sed veri equitis more, dormienti somnum cum ruperit, a trunco caput uno validiore ictu avellit.

Regnerus non continuo ducit filiam regis : de ea enim contendendum cum servo, qui, faventibus rebus quibusdam, nostro quidem proposito supervacuis, num reginæ servator haberetur, fuit expertus.

In norvagiensi carmine, unde cum multa docemur, tum et hoc, filium scilicet regis Danorum cum horrido dracone, « den leidhe lindarorm », tres totos dies certasse, vir ille miro equo vehitur, quo monetur se, si reginam a se servatam, quanquam non recusantem, duxerit, nonnihil mali acceptu-rum. Et reipsa, jactato capitis tegmine, filius regis Danorum puellam salutat adjicitque se jam inde ad suam amicam, filiam imperatoris Romanorum, pergere.

Hic res carminis adeo cum rebus Saxonis nostri congruunt, ut amplius instare supervacuum arbitremur. Immo carmen prius exstitisse contendimus ; quippe quod quantumvis, natura anceps incertumque, notam nescio quam fabulosam, quæ desideratur quidem apud Saxonem, servârit retinue-ritque nonnullas res peculiares, quas aut libens omiserit, aut forsitan non intellexerit scriptor.

A tescis digressi, in regiam devenimus, neque sane rebus, quantacumque præbent miracula, inest eadem amplitudo poetica, quæ priori fabulæ : at saltem ex priore fabula super-fuerat adhuc monstrum ; ecce nunc in vices monstri subeunt gigantes.

Ut alias virgines liberârant Gram et Hadingus, sic et Otha-rus Syritham.

Quæ puella regia, mirum in modum formosa, tantæ erat castitatis, ut ne oculos quidem attollere coram ullo homine ausa esset. Otharus, filius Ebbonis, venerat, sic ut et com-plures alii, gratiam ejus aucupaturus ; cum autem ejus ani-mum in se attrahere non potuisset, abierat re infecta. « Eius-dem rei cupidus gigas, cum eque se effectu uacuum

Digitized by Google

animaduerteret, feminam subornat, que cum, obtenta uirginis familiaritate, eius aliquandiu pedissequam egisset, hanc tandem a paternis procul penatibus, quesita callidius digressione, seduxit ; quam ipse mox irruens in arcciora montane crepidinis septa deuexit. Opinantur alii, quod femineam mentitus effigiem, cum insidiosa artis protraccione domesticis puellam edibus abduxisset, partes demum raptoris impleuerit. Quod ut comperit Otharus, indagande uirginis gracia montis penita perscrutatus, inuentam, oppresso gigante, secum abduxit (1). »

Mentito habitu, quem usurpat gigas ille, sæpius carminum personæ eundem ad finem tendentes, generatim autem Genii quilibet naturæ, Elfæ præcipue, quorum id est proprium, abutuntur. Raptam esse vero puellam ab his animantibus extra naturam creatis tradit, summo cum studio recitantium, prisca poesis popularis.

Apud Danos, Hillelilla domina (2) sibi turrim adeo excelsam, ut omnibus a partibus regionis prospiceretur, exstrui jusserat : filia nihilominus rapta fuit. Sororem ad disquirendam tres ejus filii iter ingressi sunt. Octo jam annos longiores, maria quoquoversus perlustrârunt, altissimos sinus cujusque recessus perscrutati. Appulerunt tandem ad imum montem, celso eminentem vertice.

Dixit Sonelilla puella, — se conferens ad villam : — « Quinam sunt hospites illi, — venientes sub vesperum nos invisuri ? »

Dixit tunc natu minimus, — ceterorum vicem usurpans : — « Terni sumus filii viduæ mulieris ; — æquore navigamus tanto ex intervallo !

« Oriundi sumus ex Dania ibique adolevimus : — domina Hillelilla est nomen matri ; — soror nobis rapta est, — eamque inquirimus tanto ex intervallo ! »

Soror autem ante oculos adest ; et, consentientem, deluso gigante, recipiunt.

Bellator postremo in locum gigantis subit, ceteris haud impar virtute, at paulo truculentior : in ipsoque, quo sit sanguine cretus, deprehenduntur indicia.

(1) *GD*, VII. p. 225.
(2) *DgF.*, II, n° 41.

Digitized by Google

Gremerus junior (1) regem, sibi in matrimonium filiam quæsiturus, adiit :

« Tua non erit ex me nata, — illa adeo formosa puella, — nisi certâris cum Hialmaro, probo viro, — in insula Bermensi.

« Tua non erit ex me nata, — illa adeo formosa puella, — nisi certâris cum Hialmaro, probo viro, — eumque deviceris ! »

Respondit filia regis pagani, — illa sane erat puella formosa : — « Neque ullus unquam rediit, — qui ierit depugnatum in insulam Bermensem.

« Neque ullus unquam rediit, — qui depugnârit in insula Bermensi ! — Ne tu spem habeas, — tuam necem deposcit pater meus. »

Gremerus non contremiscit. Jubet serica vela antennis pandi et, ducente aura, in insulam reformidatam appellit. Hialmarus bellator, incedentem prospiciens, conviciis consectatur ; at Gremerus, vibrato ense, uno tantum ictu hostem trucidat : quibus exactis, rex paganus victori filiam nuptum collocat.

Hoc autem animadvertendum est, utpote ad rem in primis pertinens, varias scilicet illas lectiones, sive alis cantus ad nostram ætatem venerint, sive acceperimus ex historia, aut hoc aut illud, quod originis signum habeatur nobisque principale argumentum in mentem revocet, singulas servâsse.

« Ea tempestate Scati et Hiali fratrum insolens luxus eo petulancie prorepsit, ut excellentis forme uirgines parentibus ereptas concubitu uiolarent. Quo euenit, ut Esam quoque, Olaui, Wermorum reguli, filiam, raptui destinantes patri mandarent, si illam externe libidini famulari nollet, per se aliumue quempiam pro tuenda prole decerneret. Quod cum Olo nuncio comperisset, oblata pugne facultate gauisus, Olaui penates agrestium cultum mutuatus accedit. Vbi cum inter extremos discubitu frueretur, merentem regis familiam conspicatus, eius filio de industria propius accersito, quid ita ceteri luctuosa facie essent, inquirit. Quo sororis sue pudiciciam, ni cuiuspiam defensio ocius intercederet, proxime per acerrimos pugiles profanandam dicente, percontatur rursum, quid premii recepturus foret, qui salutem suam pro uirgine deuoueret. Super quo Olauus per filium interrogatus, filiam propugnatori cessuram respondit. Que uox precipuam Oloni

(1) *DgF.*, I, n° 26.

Digitized by Google

subeundi discriminis cupidinem attulit. Consuerat autem uirgo hospitum uultus propius accedendo quam curiosissime prelato lumine contemplari, quo cercius susceptorum mores cultumque perspiceret. Eandem quoque creditum ex notis atque lineamentis oris conspectorum perpendisse prosapiam, solaque uisus sagacitate cuiuslibet sanguinis habitum discreuisse. Que cum Olonem scrutabundis aggressa luminibus constitisset, inusitato oculorum eius horrore perstricta, pene exanimis concidit. At ubi sensim redditus uigor, spiritusque liberius meare ceperat, rursum iuuenem conspicari conata, lapso repente corpore ceu mente capta procubuit. Tercio quoque dum clausam deiectamque aciem attollere nititur,non modo oculorum motu, certe eciam pedum regimine defecta subito lapsu decidit. Adeo uigorem stupor hebetat. Quo uiso Olauus, cur tocies casum corpore prebuisset, interrogat. Qua se truculento hospitis uisu perculsam testante, eundemque et regibus ortum et, si raptorum uota refelleret, suis perquam dignum amplexibus asserente, rogatur a cunctis Olo, (nam os pilleo obnuptum habebat), discusso uelamine cognoscendi capitis notas prebere. Tum ille, cunctis merorem deponere animumque procul a dolore habere iussis, detecto fronte auidius omnium in se oculos eximie pulcritudinis ammiracione deflexit. Flaua quippe cesarie[s] nitentique capillicio erat. Ceterum pupillas, ne uisentibus formidini forent, palpebris arccius obstringendas curabat... Inter hec Hiallus et Scatus cum decem uernaculis superuenientes, tanquam puellam illico sublaturi, tumultuoso cuncta clamore miscebant, regem, ni filiam in expedito sisteret, euocantes in pugnam. Quorum debacchacionem protinus Olo sponsione certaminis excipit... Deinde gladio, Lœgthi dicto, solus, duodecim prostratis, maius adolescente opus edidit.

Igitur puella sibi in premium uictorie data (1)... »

Olo ille, qui, reipsa, eamdem conserit pugnam, quam bellatores superiorum temporum et semper in eumdem finem, insignitur oculorum acumine, cujus vim nullus potest sustinere; qua re Sigurdum in memoriam revocat oriundumque se a sole significat.

(1) *GD.*, VII, p. 254.

Digitized by Google

Superest adhuc aliud facinus, quod exsequi debet quisquis a sole originem ducit : iter ei suscipiendum ad regnum tenebrarum Geniorumque. Regnum illud arcanum prius intima in terra patebat ; posterius, ultra oceanum : quorum duorum temporum memoriam per duas fabulas dignissimas, quæ mentem nostram alliciant, Saxo servat. Prior nobis jam nota, Hadingi scilicet, quem mulier subito visa gerensque, vel hieme sæviente, virides plantas, « refuga secum sub terras abduxit ». Posterior, multo longior pluribusque implicata rebus, de Gormone rege, a Thorkillo in terram gigantum abducto, famam refert (1).

O periculosum, si quando fuit, iter ! « Ambitorem namque terrarum Oceanum nauigandum, solem postponendum ac sidera, sub Chao peregrinandum, ac demum in loca lucis expercia iugibusque tenebris obnoxia transeundum, expertorum assercione constabat. »

Quid plura ? Sane et magni laboris et longus fuit cursus.

Primo, deficiente victu, ad insulam, cujus in littore pabulantia prospiciunt pecora, appellunt. Thorkillus nequidquam præcipit nautis, ut auferant ea modo, quæ sint maxime necessaria : surdos adloquitur. Nocte vero proxima, nautas aggrediuntur monstra, a quibus facultas abeundi impetrari nequit, nisi, pro injuria diis loci illata, terni navitæ, quos sors monstrârit, singuli a singulis navibus derelicti fuerint.

Appellunt tandem in Byarmiam. « Regio est perpetui frigoris capax, prealtisque offusa niuibus, ne uim quidem feruoris persentiscit estiui, inuiorum abundans nemorum, frugum haud ferax, inusitatisque alibi bestiis frequens. »

Neque etiam finis est itineris faciendi : ea tamen brevissima est via, si quis ad sedem Geruthi venire sustineat. Priusquam eam ingrediantur, denuo et acriter adhortatur Thorkillus. « Prohibuit eciam ullum cum superuenientibus miscere sermonem, affirmans, monstra nullo magis nocendi uim quam aduenarum uerbis parum comiter editis sumere ; ideoque socios silencio tuciores existere ; se uero solum tuto profari posse, qui prius gentis eius mores habitumque peruiderit. »

(1) *GD.*, VIII, p. 286 et sq.

Digitized by Google

Primo diluculo, homo supra humanum modum procerus procedentibus adest; Guthmundus est, frater et ipse Geruthi. Hospitium pollicitus, eos curru domum abducit. « Procedentibus amnis aureo ponte permeabilis cernitur. Cuius transeundi cupidos a proposito reuocauit, docens eo alueo humana a monstrosis rerum secreuisse naturam, nec mortalibus ultra fas esse uestigiis. »

Ut devenêre ad Guthmundum, Thorkillus comites his acrius commonet : « ut inter tentamentorum genera, que uarius obtulisset euentus, industrios uiros agerent atque, a peregrinis sibi dapibus temperantes, propriis corpora sustentanda curarent, discretasque ab indigenis sedes peterent, eorum neminem discubitu contingendo. Fore enim illius esce participibus inter horridos monstrorum greges, amissa cunctorum memoria, sordida semper communione degendum. Nec minus ministris eorum ac poculis abstinendum edocuit ».

Quæ fieri vetuit modo Thorkillus, ea sunt summi momenti ac ponderis : eadem ubique et in fabulis et in carminibus, cum apud veteres, tum et apud recentiores, reperias. Omnis enim homo, qui, aut vi, aut libens, consilium iniit consulendi pumilionis filiam, pedemque, sive trolli fraude de via deductus, immo subreptus, intulit « i Bjærget », ut dicunt carmina Danorum, ab hospite neque cibum, neque divitias excipere debet : quicumque contra vetitum acceperit, hospitis sui erit in æternum seque ipse redeundi hanc in terram copia fraudabit.

Peder Gudhmansön (1) vix ad montem subiit, et pumilio, advenientem amicis excipiens verbis, bibendum præbet : se daturum ad arbitrium pollicitus. Abnegat alter : ipsi enim est sponsa, et, inquit, « ego si quid bibero a pumilionibus, inde illa quoque morietur ».

Haud aliter, Jupiter cum Hermen in Erebum misisset, ab Inferorum tyranno impetraturum, ut Persephone ex tenebris ad lucem resurgeret, annuit Hades : at, priusquam Coren ad matrem remitteret, ei apposuit granum granati, cujus vis obstabit, quominus perpetuo in terris sedeat, rursus autem in Inferorum regnum redire coget (2).

(1) *DgF.*, II, n° 35.
(2) Decharme, *Myth. de la Grèce antique*, p. 360. — E.-S. Hartland, *The Science of fairy Tales*, p. 43.

Digitized by Google

Haud secus et in insulis Hervey et in insulis Bank, quarum incolæ persuasum habent esse subterraneum regnum, quo subeant mortui. His proximis etiam annis, mulier asserebat se illuc iisse, fratrem visuram, et, eo jubente, cibo quopiam abstinuisse, ideo reditum sibi non esse occlusum.

Tandem istius fidei vestigium nonne superest et in fabulis nostris popularibus ? Ex. gratia : præceptum est humili vestium consutori, qui ad diabolum consuendæ vestis causa iit, ne plus æris ab illo posceret, quam a ceteris, quidquid erit alias oblatum. Sic Thorkillus : « Ex armentis, inquit, que in maritimis frequencia discurrebant, supra quod semel laniende fami sufficeret, non esse tollendum (1). »

Igitur Gormo rex comitesque ejus ad mensas consedêre, quas regit Guthmundus, stipantibus duodenis filiis duodenisque filiabus. Hic, miratus hospitum abstinentiam, ea de re interrogat regem, qui simulatas causas affert.

« Videns autem Guthmundus apparatus sui fraudem hospitum frugalitate delusam, cum abstinenciam hebetare non posset, pudiciciam labefactare constituit, omnibus ingenii neruis ad debilitandam eorum temperanciam inhians. Regi enim filie matrimonium offerens, ceteris, quascumque e famulicio peterent, pociendas esse promittit. »

Lætantibus Danis, jam tunc Thorkillus interest. Et hercle prudenter egêre consilium secuti ; sin minus, idem cuncti experti essent, quod quatuor ex comitibus, qui stultiores, quales Ulyssis comites apud Circen, præteritarum rerum amisêre memoriam, neque jam unquam diei luce gavisi sunt.

Tunc Guthmundus, ubi vidit omnes conatus suos minus prospere cedere, pergendi ad ulteriorem fluminis ripam dedit facultatem.

Longum est, totas ædes Geruthi depingere ; sunt tamen res, quas prætermittere non liceat. Ex. gratia : « pali propugnaculis intersiti desecta uirorum capita preferebant. Eximie ferocitatis canes tuentes aditum pre foribus excubare conspecti. » Neque pericula iis, qui penetrâssent in antrum dei, impendentia cuncta evolvere nobis in animo est. Erant autem

(1) *GD.* VIII, p. 287.

Digitized by Google

tanta opum copia armaque adeo splendida, ut singuli certatim singula occuparent. Thorkillus ipse, « ammiracione captus cupiditati frenos excussit, propositam animo temperanciam exuens, tociesque alios informare solitus, ne proprios quidem appetitus cohibere sustinuit. Amiculo enim manum inserens, ceteris consentaneum rapine ausum temerario porrexit exemplo ».

Repentæ Geniorum catervæ, qui nondum fuerant prospecti, invadunt raptorum turbas, horrificis sublatis clamoribus. « Viginti solos ex omni comitatu regio sagittarie artis interuentus seruauit. »

Paucis annis interjectis, Thorkillo, post facinora, quæ prætermittere nobis visum est, suscipiendum fuit, jubente rege, alterum iter, nunc demum ad Ugarthilocum deum.

Nobis quidem videtur hanc esse absimilem modo superioris lectionem, Saxonemque, sive faciliori via producendæ fabulæ usum, sive delectatum novis rebus, quas contineat, eam usurpâsse.

Neque navigantibus pauciora, quam priore in itinere imminent pericula. Ut pervenêre « ubi regio solis inops, ignara siderum, nec diurni luminis capax, perpetue noctis specie caligabat », Thorkillus comitesque, cum jam cibos igni mitigare nequirent, morbo exhaustis viribus, rebus suis diffidunt. Repente, cum procul, per noctem ignem prospexissent, Thorkillus eo pergit invenitque gigantem foco assidentem, qui eum interrogat polliceturque se viam indicaturum, « si tres ueridicas sentencias totidem prouerbiis comprehensas expromeret ».

Hylleland (1), a trollo quodam raptam filiam Lœver regis ut inquirat, iter ingreditur, patre se ei nuptum daturum, qui e servitio exemerit, pollicito. Devenit in littora Norvagiæ trollumque, qui eum abducit in montem, « i Bjærget », reperit. Audito qua de causa venisset Hylleland :

Dicit tunc malus trollus, — adlocutus dominum Hylleland : — « Non deduces formosam puellam, — nisi mihi tres veridicas sententias exprompseris ! »

(1) *DgF.*, II, n° 44.

Digitized by Google

Hylleland quidem de re se explicuit haud minore prudentia, quam præstiterat Thorkillus, trollusque, audito junioris viri responso, graviter succensuit ; rursus autem gigas, gaudio elatus, magno cum studio quæsita suppeditat indicia : immo, tres modo novas sententias veridicas expromat, ignem porrigit, « opportunum contra demones tutamentum ».

Quo juvante, Thorkillus ad divinum antrum devenit, « intra quod Vgarthilocus manus pedesque immensis catenarum molibus oneratus aspicitur; cuius olentes pili tam magnitudine quam rigore corneas equauerant hastas » ; cumque vellet domum referre certissimum invisi a se dei testimonium, ejusdem e mento unum ex pilis evellit : « statimque tanta fetoris uis ad circumstantes manauit, ut, nisi repressis amiculo naribus, respirare nequirent ».

Res illa, Saxone auctore, eo evenisset tempore, quo primi apostoloci missi in Germaniam Christi nomen fidemque diffundere adoriebantur ; sed temere referenti assentitur noster : quippe quæ fabula generi humano sit æqualis. Necdum a Scandinavia digrediamur. Si fides danda carminibus eddicis, fortuna obtigit eadem Toro deo in gigantum regione ; et multo ante eddica carmina, ex carminibus popularibus, nunc huic viro, nunc illi : neque solum Svanelillæ fratribus, Hylleland, Petro Gudhmansön, dominoque Bœsmer ; sed et Illhuginn, Hermod, Steinfin Fefinsson, Asmundo demum Frægdegævar.

Et is erat opibus pollens rex Hyberniæ, — dixit suis : — « Quisnam perget in regionem trollorum — inde meam deducturus filiam ? »

Lux ibi desideratur.

Illuc tam multi iêre, neque sunt domum reversi, ut nullus jam amplius se istam in terram demittere audeat. Unus, conclamatur undique, is est Asmundus Frægdegævar, qui rem denuo aggrediatur. Et ipse tamen anceps est animi, vir ille fortis expersque metus ; neque consilium inibit, nisi rex ipsi filiam in matrimonium desponderit.

« Oh ! si velis mihi despondere — Ermelin, formosam dominam, — illuc, hercle, ibo ad caliginosas terras septentrionales, — ubi numquam sol relucet (1) ? »

(1) *NF.*, n° 1, str. 8.

Digitized by Google

Attamen deposcit a rege, ut ipsius navem, « Ingentem Dra conem », unam, quæ tantum trajectum sustentet, sibi committat.

Iterque ingreditur.

Et, cum hoc loco, tum illo, carmen refert res omnes, omnia facinora, quæ a Saxone accepimus, ex. gr. (id quidem sane peculiare in primis) tres veridicas sententias.

His quoque carmen, omni ex parte, priorem fabulam majori cum fide, quam Saxo, reddit : quo quidem, inquam, evidentius multo prius exstitisse declaratur.

Res de Gram irruente, die ipso nuptiarum, sub vesperum, raptum Henrico æmulo suam ipsius sponsam perfidam, nonne et ipsa æque mythica fabula, quanquam abstrusum in modum videatur?

Haud secus agitur cum Haldano. Hunc mortuum fama fuit. Itaque Saxo quidam nobilis, Sivarus nomine, Gyuritham in matrimonium poscit. Quæ vero, Haldanum amore complexa, procum, moræ addendæ causa, adstringit condicionibus his, « ne suum prius connubium peteret, quam Danorum regnum membratim diuisum in unum corpus redigeret, idque sibi per iniuriam ereptum armis restituisset. Quod frustra tentante Siuaro, omnibus arbitris pecunia ab ipso corruptis, tandem ei despondenda conceditur. Quod Haldanus apud Rusciam per negociatores expertus, tanto studio nauigacioni incubuit, ut nupciarum tempus aduentu precurreret. Quarum prima die regiam petiturus precepit, ne comites prius a constitutis sibi mouerentur excubiis, quam ferri stridorem eminus aure perciperent. Cumque conuiuis parum cognitus coram uirgine constitisset, ne uulgaris eloquii nuditate pluribus intellecta depromeret, in hunc modum abstrusa carmen ambage compegit :

Patris sceptra relinquens... (1). »

Et sua ipsius facinora commemorans, fidem illi violatam exprobrat. Cui Gyuritha, poetico et ipsa sermone usa, respondit, sibi quid credendum esset non satis constitisse, num viveret an jam esset defunctus; ceterum, utpote soli, sibi non

(1) *GD.*, VIII, p. 245.

Digitized by Google

licuisse obsistere, tot urgentibus cum senioribus, tum primoribus regni. « Necdum responsum uirgo complebat, et iam sponsum Haldanus ferro transuerberat. Nec unum oppressisse contentus, maximam conuiuarum partem obtruncat. In quem cum Saxones cessim ebrietate labantes irruerent, a superuenientibus eius uernaculis trucidantur. His gestis Gyuritha potitur. »

Idem peregêre tot alii, aliis in regionibus, quorum spectanda facinora a majoribus accepimus.

Itidem et Ulysses de Penelope certans, itidem et Othinus.

Ceterum quam multas e media ætate accepimus fabulas de equitibus qui, jamdudum domo digressi, aliquando fuerint secreto docti, sive somnio, sive per angelum, immo nonnunquam per diabolum, suam ipsorum uxorem, defunctos opinatam, altero cum sponso jam nupturam! Id est et argumentum carminum de redeuntibus in patriam, ne pauciorum quidem numero apud Scandinavos, quam apud nos. Qui, in uno ex illis, præcipuas tenet partes, Esbern dominus nomine, multis locis peculiariter naturam Gram reddit. Abfuit et ipse domo longo intervallo, quindecim circiter annis, bellum in Palæstina gerens. Redux, adest, habitum mentitus, pridie Natalis diei, apud avunculum.

Dominus Petrus jussit suos ad mensas sedere — quam maxima cum comitate : — præter miserandum peregrinum, — illum jussit sedere proxime foribus (1).

Neque quisquam illum agnoscit.

Inter edendum, scitatur peregrinus de domina Sitselilla, datam ne servârit fidem. « Tanta castitate, respondet unus, ut si forem rex hujus terræ, ejus capiti imponerem coronam. »

Pergit ire domumque devenit.

Formosa Sitselilla jussit suos ad mensas sedere — quam maxima cum comitate : — præter miserandum peregrinum, — illum jussit sedere proxime foribus.

Quomodo factum sit, ut agnosceretur (2), nihil ad rem pertinet : hoc est antiquissimum, nos doceri obstitisse illam

(1) *DgF.*, IV, nº 250.
(2) Cf. *GD.*, I, p. 18.

Digitized by Google

procis, æque ac obstiterint et Germana, in gallicis carminibus, et Penelope, referentibus Græcis. Addendum tamen, Saxonem hoc loco majore cum fide, quam carmen, principale omnium argumentum retinuisse.

Quam comparationem, jam longissimam, ad fastidium usque possimus deducere. *Gesta Danorum*, singulis in nonis primis libris, easdem heroicas fabulas, plus minus solidas, plus minus diminutas, quas carmina popularia, referunt.

In iis reperias et alterum documentum, priori penitus consimile, gentium scilicet barbararum descriptionem.

In iis et videas nationem, cum eodem famis languore laboraret, ultro domo exeuntem demigrantemque meliorum regionum desiderio. « Cumque, ut dixi, siue parum compluta humo seu nimium torrida, torpentibus satis ac parce fructificantibus campis, inedie languor defectam escis regionem attereret, nullumque, parum suppetentibus alimentis, trahende famis superesset auxilium, Aggone atque Ebbone auctoribus, plebiscito prouisum est, ut, senibus ac paruulis cesis, omnique demum imbelli etate regno egesta, robustis duntaxat patria donaretur, nec nisi aut armis aut agris colendis habiles domestici laris paternorumque penacium habitacula retinerent (1)... »

Sed eorum mater assurgit (2) :

« At prohibeat Deus pater in cœlo, — ne sic agatis !
Neque ego unquam audivi de majore scelere, — quam quod vobis est destinatum admittere, — vitam iis si ademeritis, — quos anima Deus donârit.
Melius ego vobis afferam consilium, — quæ muliercula modo sim : — plenis velis navigetis in mari, — eatis, inde relaturi victorias ! »

« Huic uoci ad concionem relate plerique suffragiis assenciebantur. Igitur omnium fortunis in sortem coniectis, qui designabantur, extorres adiudicati sunt. »

Intersis et spectaculis bellatorum consimili modo perbacchantium pronorumque in cædem.

Dani Frothonem comitati vocantur ad epulas a rege Britannorum (3), vinoque sopiti, humi jacent. Tum Britanni exeunt,

(1) *GD.*, VIII, p. 284.
(2) *DgF.*, I, n° 21.
(3) *GD.*, V, p. 168.

Digitized by Google

« relictisque intra aulam conuiuis, summis conniti uiribus ualuas regis admotis obicibus uariisque impedimentorum generibus obserare, deinde tectis ignem inferre orsi. » Dani vero, ignis vi ad sanam mentem revocante, in prælium atrox concurrunt.

Ita nonne agit Gudhrùna in *Atlakvidha ?* « Illa incendiis consumpsit omnes, quicunque versabantur in castello, percussores Högni Gunnarique, ex obscura silva regressos. Vetustæ ædes corruerunt ; fumum emittebant opes in domo Budhlungr ! Ibi arsêre virgines clipeatæ, quas florentes juventa absumpsit edax flammarum vis (1). »

Isti enim sunt Barbari Barbarorumque, sua huic vocabulo vi tota addita, vices obtinent, plerumque obsecuti naturæ impetui, ut solent primæ ætatis homines, et amoris aurique et ultionis appetentes.

Ad occupandam puellam, cujus formam laudibus extolli audiêre, eos suscipientes itinera, vel maximis impendentibus periculis, vidimus : re perfecta, si quando novis afficiuntur cupidinibus, nunc, qualis Gram cum filia Roari, puellam, abusi ad satietatem, transmittunt amico, nunc super et pellices in cubiculum adducunt. Quod attinet ad consuetudinem viri cum muliere, plurimi fiunt raptus. Quod de Snio, rapiente filiam regis Gothorum, Saxo refert, id singulorum carminum innumeris locis perscriptum reperimus (2).

Secundum amorem, urget auri sacra fames.

Aurum sitiens, vir ille spectatus, Starcatherus, regem lavantem interimit per insidias. « Centum et uiginti auri libre in premio reponebantur (3). » Aurum sitiens, mater, quo se recessu receperit filius, significat.

« Oh ! si velis nobis significare ubinam sit Samson : — tibi erit auri rutilantis copia. »

« Mihi si dederitis auri adeo rutilantis copiam : — ego vobis significabo ubinam sit Samson.

Pergite ad occidentem hunc in hortum, — ibi recubat ad venustam conjugem (4). »

(1) *Atlakvidha*, str. 39.
(2) *GD.*, VIII, p. 282.
(3) *Id.*, VIII, p. 265.
(4) *DgF.*, I, n° 6, C, str. 19-21.

Digitized by Google

Postremo, prævalens totam per vitam, subest illatam injuriam ulciscendi voluptas.

Fabula de Ketone et Wigone (1), regiis juvenibus assequentibus necem Athisli, regis Sueonum, qui suum ipsorum patrem interemerit, præbeat carmen consentaneum penitus carminibus de Hellemanno aut domino Petro.

Præcipua hominis, illa ætate, indoles, constat ex virtute laborumque patientia. Pugnant pugnandi modo cupiditate flagrantes. Duo æmuli, si forte neuter alterum potuerit profligare, jam, commixto utriusque sanguine, evadunt commilitones. Qui cecidit, is soluto in rictum ore animum exspirat. « Sunt qui asserant, morientem Agnerum soluto in risum ore per summam doloris dissimulacionem spiritum reddidisse (2). » Talem se præstitit Hagbarthus, qui, antequam ex infelici arbore pendeat, suum paludamentum patibulo prius suspendatur, cupidior cernendi per se quali sit medio in aere futurus habitu, postulat (3). Regnerus autem captus in carcerem colubris, qui jam undique invadunt, scatentem conjicitur. « Cuius adeso iocinore, cum cor ipsum funesti carnificis loco coluber obsideret, omnem operum suorum cursum animosa uoce recensuit... (4). » Eodem modo Gunnarus, in fossam, jubente Atle, dejectus, manibus revinctis, pedum digitis lyram percutit: suavis adeo erat cantus regis Gothorum, quo sopiti sunt circa regem singuli angues, unam præter viperam, quæ cor fixit (5).

Femina quoque virtute insignis est, nec minorem in modum, quam vir.

In carmine populari, ad virginem, quæ cogitur arma sumere, ut aut patrem ulciscatur et eripiat ex suis quempiam in vincula a potentiore vicino conjectum, aut nonnunquam castitatem ab amatore truculentiore pugnaciter defendat, adjacet puella, quæ militiæ studio et ipsa flagrat.

Apud Saxonem item. Una ex parte, sunt virgines illæ clipeatæ, quæ, ex. gr., tantopere intersunt prælio Braaval-

(1) *GD.*, IV, p. 110.
(2) *GD.*, II, p. 56.
(3) *DgF.*, I, nº 20.
(4) *GD.*, IX, p. 314.
(5) *Oddrunargraltr*, str. 29.

Digitized by Google

lensi (1) ; altera vero, mulieres norvagienses, infensæ ob injurias Frœ, regi Suetiæ, universæ copiis Regneri, qui ea mente irruerat, ut terram hanc servitute hospitum exueret, conjunguntur. « Inter quas affuit et Lathgertha, perita bellandi femina, que, uirilem in uirgine animum gerens, immisso humeris capillicio, prima inter promptissimos dimicabat (2). »

Quod si nunc in mentem horum Barbarorum inferimus, ubique reperire erit easdem opiniones simplices, eamdem credulitatem, quæ in pueris perspicitur.

Ubique subest vivax rerum extra naturam positarum fides, somniorum scilicet et visionum.

Sive quis venit a sede mortuorum vivos sibi carissimos, qualia ipsos maneant fata, moniturus, sive visa cujuslibet specie, futura portenduntur.

« His gestis, Hadingo defuncte coniugis species per quietem obuersata sic cecinit :

> Belua nata tibi est rabiem domitura ferarum,
> Queque truci rapidos atteret ore lupos.

At post pauca subiunxit :

> Fac caueas ; ex te nocuus tibi prodiit ales,
> Felle ferox bubo, uoce canorus olor.

« Rex mane, sopore discusso, cuidam coniecturarum sagaci uisum exponit... (3). »

Ab his exordiuntur et *Nibelungenlied* et mille diversi generis carmina.

Verum etiam singularem adeo runarum, ineluctabili agentium vi, fidem, quocumque vertimus, reperimus.

Per eas Othinus menti puellæ, morem deo libidinoso non gerentis, lymphaticum errorem injicit (4). Per eas, juvante magica potione nec ne, indignatio fastidiumve facile mutatur in amorem. Legatis a Frothone rege, qui ipsi filiam regis Hunnorum poscerent, cum res minus prospere cederet, ecce intervenit peritior Gotvara, quæ comes iter fecerat : « oblata pocione rigorem puelle cupidine permutauit, Vene-

(1) *GD.*, VIII, p. 257.
(2) *Id.*, p. 301.
(3) *GD.*, p. 35.
(4) *Id.*, IV, p. 78.

Digitized by Google

remque et uoluptatem abolite indignacionis loco constituit » (1).

Domino Tidemand (2), qui, amica non vicem exsolvente, jam in desperationem commovetur,

Dicit Habor gubernator, — secum subridens : « — At, hercle, nulla est, quam ego per meas runas non sollicitem, — sive virgo, sive puella.

« Utar ego meis prævalidis runis — et vocibus meis potentibus : — accersita aderit ferox Blidelilla — in domunculam navis ! »

Hæc et de Sigurdo digresso a Brynhilda, cum jurejurando suam in æternum fidem obstrinxisset, ad fores regiæ Júka regis accedente : Grimhilda regina juvenem dudum opperiens, cogit postes subire, ea scilicet mente, ut Gudhrúnam filiam in matrimonium excipiat. Dicit illa puellæ :

Gakk tú tár í kjallaran,
Og blanda mjöd og vín,
Og so mikid óminni
Lát tú háruti (3).

Sigurdus autem, cum bibisset, jurisjurandi jam oblitus, conjunctus est cum Gudhrúna.

Runarum vi retunditur hosti ensis mucro ; si vero, oblato ense, quem committit mater filio ad tentanda fortunæ discrimina jam iter ingressuro, runæ expromuntur, eæ sanctum invictumque faciunt.

Primum Svend Vonved filium irata mater exsecratur :

« Minus prospera cedat tibi res ! — Minus validus sit tibi ensis ! »

Post ea vero, subsidente ira, elapsa modo retexit :

« Ego nunc tibi imponam manus : — prospera tibi res cedat ! — neque victoria tuo ab equo discedat, — neque victoria tuo ab ense adeo valido (4) ! »

Svanhvita quoque, nonne et expromit runas, tendens gladium Regnero juveni regio ?

(1) *Id.*, V, p. 124.
(2) *DgF.*, II, n° 74.
(3) *SK.*, n° II, str. 138.
(4) *DgF.*, I, n° 18.

Digitized by Google

In gladio, quo monstra tibi ferienda patebunt
Suscipe, rex, sponse munera prima tue.
Hoc dignum te rite proba; manus emula ferri
Gestamen studeat condecorare suum.
Ferrea uis tenerum mentis confortet acumen,
Atque animus dextre nouerit esse comes (1).

Ea poetica circuitione declaratur vocabulum « Victoria », cujus signum olim a majoribus super ensem descriptum nullo pacto meminisse Saxo videtur.

Per runas vidimus et Othinum et Byarmenses imperantes et ventis et nubibus : nec mare quidem ipsum runis repugnat.

Cujus rei continuo nuntius perfertur ad patrem : — « Dominus Tor, homo iste, ecce decessit, secuta tua filia. »

Ad patrem : — « Dominus Tor, homo iste, ecce decessit, secuta tua filia. » — Respondit mater : — « Ideo sunt submergendi ambo. »

Mater : — « Ideo sunt submergendi ambo! — Ego nunc ita agam, — ut ambo pessum abeant in altum !

« Agam ita, — ut ambo pessum abeant in altum ! » — Vix a littore refugerant — et subito ventus mutatus est.

Refugerant, — et subito ventus mutatus est : — navis regenti jam non obediebat ; — cuncti pallescebant, viri tam fortes !

Non jam obediebat ; — cuncti pallescebant, viri tam fortes ! — Navis adeo vexatur, — ut nullus possit ad clavum sedere (2).

Nullus, nisi puella ipsa, quæ, auream coronam capite gestans, teneris digitis navem regit : quod enim texuit mater, retexit puella et ad oras Norvagiæ deducit.

Ea cum ita sint, apparet extra omnem, ni fallimur, controversiam, materiem, qua *Gesta Danorum*, Saxone auctore, in IX primis libris referciantur, unam penitus et eamdem esse, quæ dubiis incertisque poetis veteris Scandinaviæ carmina suppeditaverit.

At, dicet aliquis, quanquam hoc fieri potest, haud equidem utique efficitur, ut alio pacto conveniat poesis cum historia, quam quod depinxerit sua utraque ratione vitam moresque ejusdem eadem ætate gentis, lineamentis notabiliorem in modum iisdem.

(1) *GD.*, II, p. 44.
(2) *DgF.*, II, n° 72.

Digitized by Google

Contra disputanti respondebimus allata comparatione, qua jam usi sumus, primarum linearum apud Svend Aagesen cum primis apud Saxonem paginis. Unde noster tot documenta, quæ tamen alter admodum esse negat, accepit ? Ea nonne ex illo fonte sumpsit, unde primi chronicorum scriptores soliti sunt, nullo excepto, haurire ? A priori, nihil obstat, quominus ita opinemur. Altera ex parte, identidem ex hoc aut illo loco carmina longe prius, quam soluto sermone narratio edita sit in lucem, exstitisse probavimus : nos autem non fugit, veteres Scandinavos, velut et gentes barbaras quaslibet, carminibus, tum ad deos pertinentibus, tum ad viros insignes, esse delectatos, quæ quidem carmina Saxo se nôsse haud semel asseveret. Atqui cur eum ab illis quidquam sumpsisse neges ? Cujus tamen ipsius ex verbis res satis significatur (1). Vir ille, magis ad poeticas res compositus, quam æqualis scriptor, audaciorque, magis etiam (neque id in dubio est) patrios annales doctus, nonnihil veri commentis istis subesse, et præterita, si quidem non qualia reipsa sese habuerint, effingantur, mirum tamen in modum facie propria intimaque, ut ita dicam, natura in carminibus reddi arbitratus est (2).

(1) *GD.*, Prefacio, p. 3.
(2) Cf. P.-E. Müller, *Om Kilderne til Saxos ni første Böger og deres Troværdighed*, p. 6.

Digitized by Google

PARS POSTERIOR

Digitized by Google

Digitized by Google

I

ORATIO SAXONIS PROPIOR EST CARMINUM QUAM « SAGARUM » ORATIONI

Saxo, ut nullo modo quid deberet « vetustissimis Danorum carminibus » ostendisset, declaret forma vel ipsa narrationis.

Dr. Axel Olrik ipse, cum quantum historicus scriptor *Gesta Danorum* referens debeat « sagis » Tylensium singulari cum subtilitate, suo quidem ipsius argumento repugnans, indicavit contra, Saxonis orationem ab oratione sagarum abhorrere, plurimum vero carminum popularium linguæ congruere.

Cedo quamvis sagam : Hœnsathórissagam », ex. gr., cujus, non ultra finem XIII seculi conscriptæ, res saltem ad X repeti debet.

Sagæ natura vel ab initio admodum est peculiaris.

« Erat quidam, Odd nomine, filius Œnundi. Habitabat Breidabolstad in valle aquarum calidarum, in terra Borgarfjord. Uxor autem, Jorun nomine, magni consilii magnique nominis erat. Quibus erant quatuor liberi : duo scilicet filii, proceri quidem et validis viribus, duæque filiæ. Odd rursus a nullo justus et æquus ducebatur.

Erat quidam, Arngrim nomine, filius Helgi. Habitabat Nordtungæ. Cui erat filius Helgi nomine.

Erat quidam, Blundketill nomine, filius divitis Geir. Habitabat in valle Œrnolfi, paulo supra locum, ubi exstructum est hoc ipsum prædium. Compluribus autem prædiis, eo tempore, éditus hic locus erat frequens. Cui erat filius, Herstein

Digitized by Google

nomine. Blundketill autem inter copiosissimos maximoque in honore, paganorum ætate, habebatur. Hujus erant triginta prædia, neque ullum majore studio prosequebantur cuncti regionis istius incolæ.

Erat quidam, Thorkel nomine, filius Raudabjörn. Habitabat Swignaskard. Is erat copiosus opibus magnique consilii et apud populares gratiosissimus.

Erat quidam, Thórir nomine... »

His ferme dictis ordiuntur omnes sagæ.

Dicit « Grettis saga Asmundarsonar » :

« Œnundr hét madhr ; hann var Ofeigs sonr burlufótar, Ivars sonar beytils. Œnundr var brodhir Gudhbjargar, modhur Gudhbrands kúlu, fœdhur Astu, módhur Olafs konungs ens helga. Œnundr var upplenzkr at módhurætt, en fœdhurkyn hans var mest um Rogaland ok Hœrdhaland. Œnundr var víkingr mikill... »

Et Völsunga-Saga :

« Hér hefr upp ok segir frá theim manni, a Seigi er nefndr ok kalladhr, at héti son Odhins. Annarr madhr er nefndr til sœgunnar, er Skadhi hét ; hann var ríkr ok mikill fyrir sér, er tho var Sigi theira inn ríkari ok ættstœrri, at thví er menn mæltu í thann tima. Skadhi átti thræl, thann er nœkkut verdhr at geta vidh sœguna, hann hét Bredhi... »

Fabulator quilibet ubique proponit personam agentes, ubique adjiciens quæ sit familia, quo res familiaris statu. Inter enumerandum haud raro expromit nomina, quæ jam amplius ne semel quidem, deducendo sagæ tenore, recitanti occurrent, aut saltem brevissimo spatio ante oculos observabuntur.

Ab eo processu abhorret Saxo.

Quod quidem jam ex epitome, supra oblata, primi libri perspicere licitum est.

Cedo, alterius exempli gratia, sextum librum. Hunc eligendum potius arbitremur, quippe qui, confitente vel ipso Axel Olrik, res de Fridlevo, ibidem relatæ, magis quam quævis aliæ, inter *Gesta Danorum*, sagarum ordinem reddant: continua evolvitur facinorum series, qualibus delectabantur priores Tylenses, perquam tenui filo inter se commissorum.

Satis est perlegere decem primas lineas, ut inde, quanto

Digitized by Google

intervallo oratio hæc a sagarum oratione distet, interpreteris.

« Defuncto Frothone, Dani Fridleuum, qui apud Rusciam educabatur, falso exstinctum rati, cum iam regnum heredis inopia claudicare nec in regia gente continuari posse uideretur, hunc sceptro dignissimum arbitrati sunt, qui illustrandi Frothonis gracia recenti eius tumulo plenum laudis carmen affigeret, famamque extincti regis specioso posteris titulo commendaret. Tunc quidam Hiarnus, Danice ad modum poesis peritus, ut claritatem uiri insigni dictorum monumento prosequeretur, premii magnitudine concitatus, more suo barbarum condidit metrum (1). »

Nec pluribus verbis ab historico scriptore nobis proponitur ille « quidam Hiarnus », qui, singulari adeo usus via, regnum adipiscitur. Rursus autem saga nos plane docuisset, a quo esset oriundus, quo in loco habitaret, an duxisset uxorem nec ne, num ei filii, immo num essent fratres : nec quidquam, uno verbo, de agnatis cognatisve nos latere passa esset.

Totum evolvens volumen, et continuo, idem dicendi genus reperias.

« Eodem tempore Ericus, qui Suethie prefecturam gerebat, morbo exanimatus est. Cuius filius Haldanus, paterna procuracione functus, cum XII fratrum Noruagie oriundorum crebris congressibus terreretur, nec oppressioni uindicta suppeteret, spe capessende opis Fridleui, tunc Ruscie consistentis, copiam profugio petiuit (2)... »

Quinam sunt isti duodecim fratres ? Saxo quidem fortuito nomina septem subnotat. « Quorundam uero ex ipsis nomina (nam cetera uetustas abstulit) subnotaui : Gerbiorn, Gunbiorn, Armbiorn, Stenbiorn, Esbiorn, Thorbiorn et Biorn ». Tenuissima hercle indicia, si conferas cum indiciis ex « Hœnsathórissaga ».

Paulo infra, Fridlevum, domum regressum, et jam, excusso Hiarno, expeditiorem, aulici hortantur ad ducendam uxorem « propagande sobolis gracia ». Diu instantibus obsistit. « Ad ultimum, perseuerantissimis omnium precibus uictus, per legatos aggressus est Noruagie regis Amundi filiam postulare.

(1) *GD.*, VI, p. 172.
(2) *Id.*, p. 173.

Digitized by Google

Quorum unus, Frœco nomine, fluctibus inter nauigandum absumptus, inusitatum moriens prodigium dedit (1). » Sequitur de isto prodigio fabula : non vero dubitandum, quin saga quævis, aliis rebus prius expromptis amplioribus, hoc ipsum verbis exactioribus explanâsset.

Saxo, si opus suum scripsisset, nihil aliud curans, ut nonnulli contenderunt, nisi sagas illas, prius exortas, subsequens, has origines, procul dubio, non prætermittendas censuisset, quæ, quanquam delectato litteris tædii nonnihil afferentes, magni tamen, ni fallimur, momenti sunt, si ad historiam spectas : quantumcumque artium amans, non is erat, qui prætermitteret documenta volumen adeo facile et majori donatura pondere et una longius in spatium productura.

Non ita : sive imitandi studio, sive auctoritate quapiam animum obtinente, — mox non fortuito factum esse videbimus — ut carmina, quæ, nulla interjecta mora, per fabulam, audientium animos plerumque commoventem, aggrediuntur rem, sic et noster exorditur.

Is erat Thôr ab Asgard — equo vehitur per viridantia prata : — amisit suum malleum aureum, — is est tam procul (2) !...

Dicit Dominus Samson ad uxorem : — « Dormisne an vigilas, amica florens juventa et formosa (3) ?... »

Is erat potens Raadengard, — jubet sibi insterni equum. — « Ecce pergimus jam ad silvulam, — ibi venaturi aquilam illam feram (4) ! »

Ita, ut a primis lineis apud Saxonem, sic et a prima cantici stropha, nullo addito procœmio, plano pede in rem ingredimur, et quot evolvuntur versus in stropha, tot gradibus procedimus.

Svend Normand in cubiculo sedet, — canens cithara aurea tam suaviter !

Canebat cithara aurea sub tunica : — ecce mater intrat.

« Te satius sit equo vehi — et pergere decertaturum cum ceteris viris fortibus.

Et ulcisci mortem patris, — quam cancre cithara ista aurea ! »

Svend Normand accinctus est gladio... (5).

(1) *GD.*, VI, p. 177.
(2) *DgF.*, I, n° 1.
(3) *DgF.*, I, n° 6.
(4) *DgF.*, I, n° 12.
(5) *DgF.*, I, n° 18.

Digitized by Google

Resque continuo procedit eodem gradu, subsultans quidem, sed ad eventum usque festinans.

Haud secus apud Saxonem, singulis saltem partibus perspectis.

Othino opus est filio, qui Balderi mortem ulciscatur. Certior autem factus est vaticinio, se ex Rinda, filia regis Ruthenorum, filium susceпturum. « Hoc audito, Othinus os pileo, ne cultu proderetur, obnubens, predictum regem stipendia meriturus accedit. A quo magister militum effectus, recepto exercitu, pulcherrimam ex hostibus uictoriam retulit. Quem rex ob pugnam strennue editam in primum amicicie gradum adciuit, haud parcius donis, quam honoribus cultum. Idem post paruulum temporis interuallum solus hostium acies in fugam propulit, mirificeque cladis auctor pariter ac nuncius rediit. Ammiracioni omnibus erat, quod tanta de innumeris strages unius accipi uiribus potuisset. Quibus meritis fretus, tacite regem amoris sui conscium facit. Cuius benignissimo fauore recreatus, dum a puella osculum peteret, alapam recepit. Nec eum aut contumelie deformitas aut iniurie dolor proposito depulit.

« Postero siquidem anno, ne quod auide orsus erat, ignominiose desereret, peregrina ueste sumpta, regis contubernium repetit... (1). »

Fabulam hanc compluresque alias prorsus notatione dignas si perlegeris, nusquam rem neque subsidere, neque tardiore quidem gradu procedere compertum erit (2). Res agitur, ubique res agitur. Et semper, et quovis in carmine, ab initio ipso fabula profertur, cujus proprium est minus rem proponere, ut fit in sagis, quam vel primo ingressu ad eventum festinare : neque alia causa huic in narrando pernicitati, nisi quod prorsus a genere dicendi apud Tylenses usitato Saxo, propositi sibi conscius nec ne, abhorreat.

In saga enim plurimi agunt personas. Saga Egil Skallegrimsön, ex. gr., ccciii homines continet ; non omnes sagæ, certe, totidem ; in saga tamen, quæ refert de Romund Gripsön, quanquam quindecim modo per paginas res deducitur, sex et

(1) *GD.*, III, p. 78.
(2) Cf. A. Olrik, *Kilderne til Sakses Oldhistorie*, p. 17.

Digitized by Google

viginti personæ numerantur : hoc enim est vitium narrantibus apud Tylenses perquam longa serie suis singulos nominibus appellare, eo modo consilio, ceterum cujuspiam mores investigandi parum securi, ut singulos enumerent et agnatos et cognatos, amicosque et affines primas partes obtinentium. Apud Saxonem contra perpaucorum nomina legimus : fit etiam, nec uno in loco, ut ne eorum quidem, qui primas agunt personas, nomina dicantur. Cedo longam fabulam Amlethi. Quinam suo nomine declarantur? Et rerum auctor et Fengo vitricus et Gerutha mater : nec unus amplius nuncupatur. Ita regina Scotorum, quam adit missus a rege Anglorum, designatur tanquam cursim et obiter : « quod cum accepisset Hermuthruda (regine id nomen erat) perlegissetque... (1). » Sed nos fugit, quo dicerentur nomine et omnes aulici, quibus ministris usus est Fengo ad occulta Amlethi retegenda, et illa puella sibi carissima, æqualis et puerilis educationis socia. « Maximam enim Amletho puella familiaritatem uetus educacionis societas conciliabat, quod uterque eosdem infancie procuratores habuerit (2). » Neque minus nos fugit, quis esset ille rex Anglorum, qui, cum necandi Amlethi, hortante Fengone, habuisset facultatem, eidem suam filiam, et nomine vacantem ipsam, collocavit. Gerutha ipsa, semel, exordiente fabula, nuncupata est suo nomine, nec jam iterum, procedente, Gerutha dicitur, sed mater modo Amlethi. Quicumque semel sagam unam perlegerit, quem obtentura fuisset habitum eadem fabula, narrante Tylensi, conjectura assequi potest.

Si quando agitur de Geniis et gigantibus, et pumilionibus, et monstris, veteres sagæ nusquam nomina prætermittenda curant. Saxo quidem suo vocabulo designat Vagnophtum et Haphlum gigantes, filiorum Gram educatores, et Harthgrepam, Vagnophti filiam, et Hythinum gigantem, qui rapuerat filiam regis : plerumque vero, de his mentionem faciens, indefinito et incerto tantum utitur vocabulo. « Hic cum forte Sueonum regis Sigtrugi filiam, Gro, gigantum *cuidam* desponsam cognosset... (3). » — Cumque forte gigantum *quen-*

(1) *GD.*, IV, p. 103.
(2) *Id.*, III, p. 90.
(3) *Id.*, I, p. 13.

Digitized by Google

dam Nitherorum regis Haquini filiam pactum animaduertisset... (1). » Et referens rem de Otharo et Syritha, nomine nuncupat neque gigantem, qui, amore captus, puellam rapit, neque mulierem, ad quam puella a juniore viro liberata se recepit. « Eiusdem rei cupidus gigas, cum eque se affectu uacuum animaduerteret, feminam subornat... (2). » — « Que cum uarios solitudinum anfractus diucius errabunda percurreret, contigit, ut ad siluestris cuiusdam immanisque femine tugurium peruenisset. » Eodem pacto, deum occisum ab Hadingo, Saxo incerto admodum nomine vocat « unum e superis ». Id est prorsus dicendi genus apud poetas populares : ubique, in carminibus, aulæ cuipiam locus est ; nusquam tamen audimus nomen aut regis, aut reginæ ; filiæ vero nomen est, quod non excipiamus, nisi, re procedente, interjectum.

Samson famulatur in aula regis, — vitiat filiam regis, illam formosam virginem.

« Audi, o tenera Christina, — oh ! visne fieri mihi deliciolæ (3) ? »

Regulus ille nonnunquam non jam regnum certum quodlibet obtinet ; dicitur rex Danorum, aut Uppsalæ regulus, aliquando paganorum princeps.

« Te, qui istic sedes, rex Danorum, — ad tuam largam mensam — oportet mihi collocare tuam filiam et consociare mecum totum tuum regnum ! »

Alias quoque, qui personas agunt, indicantur ex cognatione, vel consuetudine cum præcipuo rerum auctore.

Hagbarthus media vel nocte excutitur e somno — et narrat suum somnium ; — ejus mater dilecta somnum excusserat, — illa dicenti intenta os tenuit.

Nec magis uspiam, apud poetam popularem, animantia extra naturam posita dignoscuntur nomine proprio : neque aliam, ni fallimur, ob causam, nisi quod, prima hominum ætate, animantia reformidanda nominare vetitum fuisset. Ea

(1) *GD.*, I, p. 10.
(2) *Id.*, VII, p. 225.
(3) *DgF.*, I, n° 6.

Digitized by Google

incertis modo vocabulis designat : « malum trollum », aut « pumilionem ferum ».

Is erat dominus Petrus Gudhmansön, — in montem ingressus : — et horridus pumilio venit adeunti obvius (1).

Agnes in pontem Höjeland abit ; — eo venit nixa imis ab undis. — Oh ! certe ! — Eo venit nixa imis ab undis (2).

Quod si nunc transimus ad peculiare personas agentium signum et ad imaginem, idem comperiendum est.

Quanto plures in sagis insunt expressæ subtilesque descriptiones, tanto pauciores in carmine populari, personas agentium habitum uno tantum lineamento describente.

Ecce subit parvulus famulus, — vestitus breviori tunica...

Dignoscitur plerumque persona motu quodam inconsulto, aut peculiari gestu, per quem illa, ne sibi quidem conscia, indicat intimos animi sensus (3).

Filius reguli in aula deambulat — seque oblectat in ense jactando... Dicit Svend a Vollerslæv, — versans terram pede...

Hujusmodi exemplari sæpius Saxonis narratione utare : quale certamen Uffonis, filii Wermundi, cum filio regis Saxonum fortibusque comitibus.

Ad Wermundum regem, et seniorem et cæcum, Saxonum rex legatos mittit, qui sibi tradi Daniam jubeant, nisi ipsius filius manus cum suo filio conserat : si fuerit depugnatum, uter vicerit, alterius regno potiturum. Wermundo quidem est filius, nulla autem spe patrem fovens. Pater igitur se iturum vel ipsum in certamen declarat ; at Uffo filius, valde mirantibus omnibus, qui aderant, assurgit, et junior ille, qui ad hanc diem usque ne os quidem aperuerat, ferocibus legatis patri suo esse filium declarat, qui et ipsius in loco conserat manus et defunctum excipiat.

Wermundus, cum suis auribus credere nequeat, jubet eum accedere, qui vocem ediderit et ipsius filius declaretur. Cum que manibus totum ei corpus tractavisset, filium reipsa ex

(1) *DgF.*, II, nº 35.
(2) *DgF.*, II, nº 38.
(3) Cf. A. Olrik, *Sakses Oldhistorie*, p. 145.

Digitized by Google

prævalida statura agnoscit. Tum gaudio elatus, sibi conferantur arma imperat. Cuncta autem sunt breviora. « Ad ultimum, cum paternam quoque loricam uiolenta corporis astriccione dissolueret, Wermundus eam a leuo latere dissecari fibulaque sarciri precepit, partem, que clypei presidio muniatur, ferro patere parui existimans. » Neque ullus est gladius, quem, ictu vel primo, manu non frangat. Hic rex se in locum expresse indictum duci jubet, quo in loco defodisset Skrap ensem, desperans filium aliquando tanto usurum telo. Prævalidum ensem rubigine exesum Uffo tentare velit ; pater autem ne tentet præcipit : qui si frangatur et ipse, nullum superesse, quo utatur.

Dies pugnæ ubi venit, itur in prædictum locum.

« Hunc fluuius Eidorus ita aquarum ambitu uallat, ut, earum intersticio repugnante, nauigii duntaxat aditus pateat. Quem Uffone sine comite petente, Saxonie regis filium insignis uiribus athleta consequitur, crebris utrinque turbis alternos riparum anfractus spectandi auiditate complentibus. Cunctis igitur huic spectaculo oculos inserentibus, Wermundus in extrema pontis parte se collocat, si filium uinci contigisset, flumine periturus. Maluit enim sanguinis sui ruinam comitari, quam patrie interitum plenis doloris sensibus intueri. Verum Uffo, geminis iuuenum congressibus lacessitus, gladii diffidencia amborum ictus umbone uitabat, paciencius experiri constituens, quem e duobus attencius cauere debuisset, ut hunc saltem uno ferri impulsu contingeret. Quem Wermundus imbecillitatis uicio tantam recipiendorum ictuum pacienciam prestare existimans, paulatim in occiduam pontis oram mortis cupiditate se protrahit, si de filio actum foret, fatum precipicio petiturus. Tanta sanguinis caritate flagrantem senem fortuna protexit. Uffo siquidem filium regis ad secum auidius decernendum hortatus, claritatem generis ab ipso conspicuo fortitudinis opere equari iubet, ne rege ortum plebeius comes uirtute prestare uideatur. Athletam deinde, exploranda eius fortitudinis gracia, ne domini sui terga timidius subsequeretur, admonitum fiduciam a regis filio in se repositam egregiis dimicacionis operibus pensare precepit, cuius delectu unicus pugne comes adscitus fuerit. Obtemperantem illum propiusque congredi rubore compulsum, primo

Digitized by Google

ferri ictu medium dissecat. Quo sono recreatus Wermundus, filii ferrum audire se dixit, rogatque, cui potissimum parti ictum inflixerit. Referentibus deinde ministris, eum non unam corporis partem, sed totam hominis transegisse compagem, abstractum precipicio corpus ponti restituit, eodem studio lucem expetens, quo fatum optauerat. Tum Uffo, reliquum hostem prioris exemplo consumere cupiens, regis filium ad ulcionem interfecti pro se satellitis manibus parentacionis loco erogandam impensioribus uerbis sollicitat. Quem propius accedere sua adhortacione coactum, infligendi ictus loco curiosius denotato, gladioque, quod tenuem eius laminam suis imparem uiribus formidaret, in aciem alteram uerso, penetrabili corporis seccione transuerberat. Quo audito Wermundus Skrep gladii sonum secundo suis auribus incessisse perhibuit. Affirmantibus deinde arbitris, utrumque hostem ab eius filio consumptum, nimietate gaudii uultum fletu soluit. Ita genas, quas dolor madidare non poterat, leticia rigauit. Saxonibus igitur pudore mestis, pugilumque funus summa cum ruboris acerbitate ducentibus, Uffonem Dani iocundis excepere tripudiis... (1). »

Usurpet merito carminis nomen narratio (2), quæ modo perlecta est, et, procul dubio, inter præpollentes nitore ac vi, quas unquam composuit ullus Scandinavus poeta, ponenda est, nec, qualiscumque est, novam hanc induta formam, ulli operi majore cum fide, quam primis carminibus de Sigurdo, conferenda. Ibidem et armorum fit periculum ; ibidem et, inter dimicandum cum dracone, Reginnus, ut senior rex, a turba secedit, tremebundo corde, dum bellator prævalido ense, cujus ictibus late loca resultant, hostem ferit.

Quam saga quælibet, eamdem copiam rerum et vim hoc carmen continet. Sed, quod A. Olrik, nec injuria, notandum censuit, saga arma bellatoris semetipsum instruentis ad ineundum terribilem pugnam descripsisset, partes per singulas ; verum hoc loco nobis ante oculos editur spectaculum : audimus enim loricam, utpote angustiorem, quam ut juvenis pectus amplectatur, crepantem ; videmusque enses, quos attulerunt, fractos prævalida manu multasque in partes

(1) *GD.*, IV, p. 117.
(2) Cf. A. Olrik, *Sakses Oldhistorie*, p. 186.

Digitized by Google

dissilientes. Hic nihil est quod obsistat agentibus : festinanter docemur et obiter. Complures sunt numero, qui agunt ; eminent soli e turba, qui præcipuas personas obtinent. Paucas per lineas res singulæ singulas excipiunt, expressæ tamen prorsus cunctæ et mirum in modum invicem copulatæ connexæque.

Nullus unquam poeta illos, quicumque personam agunt, certius suis singulos signis effinxit, aut disposuit majore cum arte. Wermundus et Uffo invicem illustrant alter alterum, neutro alterius decori officiente : a fronte nunc unus agit, nunc alter ; quidquid agunt, propriis signis dignoscitur hic senex, illic juvenis paululum ineptus, qui tamen inopinantibus se indicat merum bellatorem, tantæ fortitudinis, quantæ prudentiæ, ad hæc, mirarum virium.

Uffonem vero hujusmodi non novit Tyle. Itaque coguntur, qui studiosissime obtestantur Tylensium auctoritatem, aliunde, quo ex fonte splendidas narrationes hauserit Saxo, exquirere. Apud Danos, ultra « Rydannales », Svend Aagesen, quanquam brevi adeo oratione uti solitus, Saxoni explanando complures paginas impartitur. Fabula, si summa rerum perspicitur, eadem est, quæ in *Gestis Danorum ;* Svend autem, vehementiore patriæ studio incitatus, quanti interesset bellatorum Danorum externos hostes a terra majorum defendere, manifestis indiciis præsertim significavit. Ad hæc, adjicit nonnullas res, quas Saxo, si tenuisset undecunque acceptas, non prætermittendas censuisset. Postquam rex, annis confectus, segnior ad credendum, manu tractavit totum corpus hominis illius, qui modo condiciones Saxonum legatorum accepit, illius, quem dictitant suum esse filium, illico certior fit, et : « Idem est, exclamat, idem est, qui eram et ipse juventutis temporibus ! » « In certamine Uffo gestat duos gladios ; unum, affixum cingulo, quem sibit commisit pater, manu alterum, quo prius utitur. Hic frangitur. Wermundus autem fragorem audit et, conclamantibus gaudio Saxonibus, rex senior, filium jam inermem arbitratus, in pontis oram se protrahit, ea mente, ut se præcipitem dejiciat in flumen. Vix autem Uffo veterem gladium ex patre acceptum nudavit, et jam hostis caput avulsum humi jacet.

Non idem et unus homo res eas exposuit et Svend et

Digitized by Google

Saxoni, primum nonnullis, mox pluribus additis ornamentis : sed eadem res carminibus duobus variis referebatur, quorum unum accepit Svend, alterum Saxo. Pærsepe accidit, de facinorum memoria, quam auribus tantum accepêre gentes, ut lectio una ceterum minus illustris, aut has aut illas res contineat singulariter splendidas, quæ in priore fabula, ceterarum parente, desiderantur.

Quantum valeat carmen ad instituendam Saxonis orationem, non in ordinandis modo rebus, sed etiam in forma extrinsecus proprie dicta, certo dicendi genere certisque vocabulis significatur. Apud Saxonem reperimus rursus « aurum rutilans (1) », hoc « rœde guld », quo toties in carminibus capti sunt homines et illecti. Navium quoque splendidus apparatus iisdem vocabulis depingitur. Helgo, a Norvagia iter ingrediens ad poscendam in matrimonium Helgam, sororem Ingelli, ascendit navem haud minore apparatu speciosam, quam navis, ex. gr., domini Boo, ab Orientis regionibus revertentis. « Ceterum nauigacionem tanto instruxerat luxu, ut excultorum auro uelorum apparatu uteretur, que eciam inauratis malis subnixa, purpureis restibus tenebantur (2). »

Hans segel dhe voro af silcke giord,
Gullstika' i alla sömmær... (3).

Postremo, apud Saxonem eumdem rerum naturæ sensum, quem in carminibus, occultiorem profecto, vix delibatum, eum tamen, quem non præstent sagæ vel vetustissimæ, comperire est.

Tertio in libro, Horwendillus, Iutorum præfectus, ingentem gloriam bello tres annos totos paravit. Cui invidens, Collerus, rex Norvagiæ, ducem aggressurus procedit. Ejusdem insulæ, medio in oceano sitæ, ad littus appulêre. « Inuitabat duces iocunda littorum species; hortabatur exterior locorum amenitas interiora nemorum uerna perspícere, lustratisque saltibus secretam siluarum indaginem pererrare (4). » Du-

(1) *GD.*, I, p. 16.
(2) *GD.*, VI, p. 194.
(3) *SFs.*, I, n° 11, str. 19.
(4) *GD.*, III, p. 86.

Digitized by Google

cesque egressi sunt ambo deambulandi causa, locorum amœnitate invitati. Haud secus de puella quadam. Dicit carmen :

Puella induit lacernam cæruleam, — itura in nemus. — *Æstate adeo amœna !*
Illa ibi conspicit quercus, ibi conspicit fagos : — jam tilia erat viridans ut porrum. — *Æstate adeo amœna* (1) !

Alias, in Scottia, Amlethus, cum advenisset haud procul a regia Hermuthrudæ reginæ, « recreandorum equorum gracia, iunctum vie pratum accessit, ibique loci specie delectatus, quieti consuluit, iocundiori riui strepitu somni cupidinem prouocante. »

Amœnitatem illam ex rebus naturæ, gaudium illud conspiciendi procera nemora denuo viridescentia concinentesque aves audiendi, loca illa secreta somni cupidinem provocantia, ea omnia, inaudita prius, tum primum hac ætate litteræ apud Scandinavos novêre. Carmina autem plerumque a rebus naturæ, quæ præbeant scenam, conspectis exordiuntur : conspicitur et tilia in colle, et viridans pratum amœnaque silvula, qualia refert fabula de Horwendillo ; sed, A. Olrik auctore, hæc similitudo fortuito penitus contigisset eisdemque tantum rebus circumjacentibus adducta (2).

(1) *DgF.*, II, n° 66.
(2) *Sakses Oldhistorie*, p. 157.

Digitized by Google

II

DE SAXONIS VERSIBUS

Sint quidem loci, ne imperiose plus quam æquo sententiam edicere videamur, hic et illic, atque identidem, certa similitudine congruentes, quod attinet et ad formam et ad viscera rei, qui fortuito tantum, aut necessitati rerum parentes, contigerint : sed hoc in numero ponendas esse partes, quæ apud Saxonem memoriam reddant carminum popularium, generatim negamus. Ad argumenta supra jam dicta adduntur alia alius generis, quæ extra controversiam ducimus.

Unum hoc præcipue est explorandum, quod quispiam possit explorare, neque tamen quispiam, quod equidem sciamus, curavit, argumentum quidem summi momenti, quo plane confirmentur nostræ superiores conclusiones : *Gesta Danorum*, scilicet in partibus præterita tempora referentibus, in octo primis præsertim libris, versibus exuberare, rursus autem in ultimis, ubi suæ ætatis facta narrentur, ne unum quidem versum inveniri.

Num fortuito contigit, ut inter partes unius operis tam insignis discrepantia interesset?

Negamus, liquido negamus.

In compluribus quidem sagis in vices alternant versusque et soluta oratio Sed, non solum in dubio est, num Saxo illas in promptu habuerit, sed etiam arbitramur eumdem, si imitatus esset, illas perpetua imitatione totum per opus fuisse secuturum. Quanam igitur de causa aliter egit?

Digitized by Google

Ea causa est : quamdiu narret res a semetipso visas, aut e testibus fide dignis auditas, non in mentem illi venire, ut arbitrio suo agat, inde se præstare eximium scriptorem historicum ; eumdem vero, si quando quid condere intra parietes silentis tablini cogatur, mente carminibus de præterito tempore referta, tabulamque prementibus documentis, quæ ex cantoribus, sive aulam regiam celebrantibus, sive prosequentibus agmina, acceperit, invitum ad poesis dulcedinem adduci (1) : nonnunquam verba ferme pro verbis transferentem, longiore sæpius ambitu circumducentem, aut inde, afflante spiritu poetico, expromentem strophas valde significantes, quantum esset compos linguæ istius latinæ, per quam et æqualibus et ipsi, ut monumentum historicum danensi patria dignum in honorem majorum exigeretur, in votis esset.

Est alterum neque minus peculiare, neque, ut opinamur, fortuito factum : omnibus propemodum versibus fabulæ miri aliquid retinentes evolvuntur. Nonne et hic plus quam indicium videas ? Nonne possimus jam et nunc Saxonem, ubicunque condiderit versus, poetica carminum veterum mente incitatum esse asserere ? Si quando contra utitur soluta oratione, haurit plerumque ex fabulis fama traditis ; multis tamen locis, fabulas eas carminibus jam nunc esse propiores, Saxonemque, argumento tantum accepto, rem in particulas passim, prout sit opus, spargentem conjicere nobis liceat.

Ad summum ceterum ne jam longius per inductiones exspatiemur : versus enim Saxonis prætendunt et ipsi, quo ex fonte sint hausti. Quæ indicia, cum haud simplicia, sed natura diversa sint, singulaque singulis congruentia, eo plus momenti ac ponderis habebunt.

Sunt præcipue apud Saxonem complures loci subobscuri, immo valde secum pugnantes.

P.-E. Müller, ex. gr., jam notavit Biarkum, secundo in libro, Hialto ad sumenda arma, ut eatur subsidio regis, invitanti, desinendum esse, donec arma sua induerit, respondere.

(1) « Kun ifölge dette kunne vi forklare Afvexlingen mellem Prosa og Vers. Stundom findes Vers ved ubetydelige Leiligheder, og hvor man snarest maatte have ventet dem, læses ingen... » (P.-E. Müller, *Om Kilderne*, p. 7.)

Digitized by Google

. . . . . Sed desine, donec
Armer, et horrendo belli precingar amictu.
Jamque ensem lateri iungo, iam corpore primum
Lorica galeaque tegor. . . (1).

Vixdum autem arma induit, et eundum ad pugnam vel apertis pectoribus clamat :

. . . . . Attendite, fortes !
Nemo lorica se uestiat interituri
Corporis; extremum perstringat nexile ferrum;
In tergum redeant clypei; pugnemus apertis
Pectoribus, totosque auro densate lacertos.

Continuo et cantat pugnam nondum commissam et enumerat viros sua ipsius manu ibidem interemptos.

Res procul dubio aut inter se discrepantes, aut male ordinatas jure dicas.

Neque vero jam adeo discrepant, si locum divideris in duo carmina, quorum alterum sermonem inter Hialtum et Biarkum, pugna nondum commissa, referat ; alterum autem, commissa, subjiciatur. Saxo prioris finem commiscuit cum initio posterioris : prioris enim carminis sunt et octo primi versus, quibus continetur Biarki responsum et superiorum facinorum descriptio ; posterioris autem, ab nono ad unum et vicesimum et a septimo quadragesimo ad finem. Id, subjicit P.-E. Müller, comprobatum est Hrolfsaga (cap. L, LI), quae refert Biarki verba, congruenti admodum forma cum Saxonis versibus; dividit autem, et eamdem emendationem faciendam rogavimus, in duas diversas partes.

Ad hæc P.-E. Müller (2), cum complures nonnullius ponderis notationes, quibus comprobetur ipsius superior conclusio, tum et hanc adjicit :

Causam, cur Biarkus tam sero in aciem veniat, esse ex lege naturæ (3). Illum enim sic alto somno dormire, ut fragorem pugnantium non audierit ; secundum sagam autem Biarkum esse « hamramr », ideoque forma, qualicumque velit, se induere posse, suas ipsius vires augentem viribus animantis, cujus figuram expresserit ; sed, dum, cum corpore extraneo

(1) *GD.*, II, p. 63.
(2) *Om Kilderne*, p. 34.
(3) Cf. N.-M. Petersen, *Danmark i Hedenold*, I, p. 230.

Digitized by Google

conspiciendus, decertet, suum ipsius corpus eadem sede permanere, somno sopitum ; eumque statum retinentem a nullo Biarkum ex fide antiquissima esse demovendum, hisque excusari cur in saga Biarkus suum Hialto studium intempestivum exprobret : istam autem veram causam, quam antiquum carmen fama traditum afferat, a Saxone, sive ex consulto omissam, sive non perceptam fuisse.

Videtur enim prorsus Saxoni materiæ, qua uteretur, veram dignamque æstimationem non fuisse compertam.

Cedo hoc exemplum. Starcatherus, postquam Ingellus rex, jussus a vetere bellatore, ultus est tandem mortem patris, cantat, summo correptus spiritu, carmen et exclamat :

> Dic, Rotho, perpetue timidorum irrisor, an ultum
> Frothonem satis esse putas, qui funera septem
> Vindicte unius impendimus (1) ?...

Quisnam sit Rotho ille, sic a Starcathero interpellatus, nos fugit. Nos autem non fugit, fuisse deam, Rotam nomine, quæ irrideret et ipsa timidos in pugnando. Saxo nonne, deam illam non satis notam habens, erravit in nomine nuncupando (2) ? Nisi tamen librario cuidam id vitio est dandum.

Sunt et apud Saxonem multi alii loci subobscuri.

Ad memoriam revocamus fabulam de Gram, rege Sueonum, qui filiam giganti desponderit, bellum inferente. Secundum famam vulgo acceptam, res cum gigante agenda foret. Et hoc in loco Saxonem errâsse in nomine, vaticinio illo, Sigtrugum scilicet non occisum iri, nisi accesserint condiciones singulares præstitutæque, admodum ad heroum ætatem pertinente comprobatum est. Quid adhuc significatum voluit his verbis Gram compellantis Gro, quæ ipsum falso indutum habitu credat et esse missum ab ipso gigante forte ad virginem repetendam :

> Ne timeat rapidi germanum uirgo gigantis :
> Me neque contiguum palleat esse sibi.
> A Grip missus enim, numquam, nisi compare uoto,
> Fulcra puellarum concubitumque peto (3).

(1) *GD.*, VI, p. 214.
(2) Cf. P.-E. Müller, *Om Kilderne*, p. 88.
(3) *GD.*, II, p. 16.

Digitized by Google

Quisnam Grip ille ? Antiquum carmen certe indicavit ; Saxo vero repetendum parum curavit.

Quam multa ceterum prætermiserit Saxo fastidio est referre : duo tamen exempla, generis quidem diversi, sed perquam firmi ad probandam rem argumenti, proponenda arbitramur.

Haldanus bellum gerit in Ruscia. Audito Gyuritham, cujus amore flagraret, jam alteri nuptum iri, propere revertitur dieque nuptiarum ipso ad ædes devenit. Incognitus adhuc omnibus, ad mensas sedet unus convivarum ; mox puellæ, ante oculos obvius, carminibus exprobrat violatam fidem.

Exprobranti puella respondet :

Fragili moderamine rerum
Animus michi pendulus hesit,
Trepide leuitate pererrans ;
Tua fama uolatilis, anceps,
Variisque relatibus acta,
Dubium michi pectus inussit...
Manet et Venus et calor idem,
Socius tibi parque futurus,
Nec ab ordine sponsio cessit,
Aditus habitura fideles (1).

« Neque enim ulla adhuc te fefellit promissio, quanquam sola multiplicis suadele consilia detrectare non possem, et in iugalis copule recepcione monitis obuiare censoriis. »

Quæ postremæ lineæ soluta oratione congruunt profecto superioribus versibus ultimamque carmini tanquam stropham suppeditant.

Pergit enim ire fabula, quanquam haud ita simili tenore : « Necdum responsum uirgo complebat et iam sponsum Haldanus ferro transuerberat... »

Eodem pacto Otharius Syritham, cum reperisset servantem capellas illius « siluestris immanisque femine », ad quam se, viri conspectum fugiens, receperat, conatur sui amoris convincere, seque sequatur conjux hortatur.

« Num meis mauis monitis adesse
Et pares uotis sociare nexus,
Quam gregi presens olidisque curam
Ferre capellis ?

(1) *GD.*, VII, p. 246.

Digitized by Google

. . . . . .
Quam tuli claustris tocies gigantum,
Confer antiquo meritum labori,
Et graues rerum miserata nisus
Parce rigori.

Quare etenim cerebrosa adeo dementire cepisti, ut alienum ductare pecus, et in monstorum famulicio numerari preoptes, quam pari consensus aptitudine mutuum thori promouere contractum (1)? »

Otharum eumdem hactenus elocutum esse et, quæ versibus inceperit, soluta oratione absolvisse confiteare. Nunc autem historicus scriptor suis verbis dicere pergit :

« Illa nihilominus, ne pudice mentis constancia ad externos titubaret aspectus, luminum habitum immoto palpebrarum rigore continuit... »

Sic duo illi loci utuntur versiculis, ultima autem pars soluta oratione. Num id imputandum est incuriæ oblivionive vitium ? Saxone potius, cum vellet eumdem numerum versiculorum præstare, quem carmen antiquum, intellexit fieri non posse, ut quatuor modo versiculis, quæ dicenda superessent, strictim expromeret ? Quidquid est, Saxonem, si carmina sua modo ex mente exprompta edidisset, non tamen, ut opinamur, defecisset spiritus, ut desineret in solutam orationem, eo ipso momento, quo jam perveniret ad finem.

Ea quidem sunt argumenta intrinsecus abducta, eamque ob causam, controversiam admissura ; nec etiam deficiunt extrinsecus, quæ et magis illustrant rem.

Saxo, pluribus locis, mentionem facit de Starcathero, fabularum peritissimo, ut illustriore poeta, quem Othinus « non solum animi fortitudine sed eciam condendorum carminum pericia illustrauit ». « Skaldatál » reipsa nomine illo bardum quemdam designat, cujus ad nos exstant in « Gautrekssaga » nonnullæ strophæ.

Hujus facinorum repetendorum non est locus. Saxo, ea omnia copiose referens, hunc bardum, qui veterum bellatorum tam fortium, quam tentandæ fortunæ studiosorum, figuram animosque gerit, permulta carmina fingentem exhibet.

(1) *GD.*, VII, p. 226.

Digitized by Google

Fierique potest, ut ante legentium animos proponens virum, quem fama dicebat poetam, satis causæ haberet, cur conderet carmina; neque vero magis est dubitandum, quin ipsi in promptu essent antiqua carmina, quæ fama a bardo condita dictitaret.

Cedo locum, ex. gr., quo suam Ingello lasciviam exprobrat, cum patris Frothonis regis cædem deberet ulcisci, et revocat ad memoriam sua ipsius facta,

> Undecim quondam proceres eramus
> Regis Hakonis studium secuti,
> Hic prior Helgo Gegathus resedit
> Ordine cene (1).

Illa stropha nonne originem ducit a stropha, quæ invenitur apud « Gautrekssagam » (2), ubi Starcatherus quid, ad aulam Vikari regis commorans, agere soleret, docet ? Nomine prius indicat suos duodenos comites; post hæc addit : « Nos ibi tredecim eramus, commilitones certe minime commodis moribus. » Saga num erravit? Saxone in manibus habuit exactius volumen? Pro certo habendum est, Saxonem unum dixisse primum, commilitones fuisse expresse, incluso Starcathero, duodecim numero, non tredecim. Ad hæc prius Saxo narraverat quomodo per insidias Starcatherus vitam Vikaro regi eripuerit, neque id referre nullius est momenti.

Alio loco minus dubitandum est, quin Saxo in promptu habuerit carmen quoddam.

Saxo, ineunte octavo libro (3), insigne prælium apud Braavallam narrare parans, scribit : « Historiam belli Suetici Starcatherus, qui et eiusdem prelii precipuum columen erat, primus Danico digessit eloquio, memorie magis quam literis traditam. Cuius seriem ab ipso pro more patrio uulgariter editam digestamque Latialiter complecti statuens, in primis prestantissimos utriusque partis proceres resensebo. »

Is est unus ex raris locis ubi, a quo fonte sumpserit, nobis indicat : inde eo majoris momenti habendus est. Ita Saxo se latina lingua antiqua carmina, quæ sermone patrio tradita a Starcathero fama recte aut perperam dictitaret, translaturum

(1) *GD.*, VI, p. 209.
(2) Ed. W. Ranisch., p. 17.
(3) *GD.*, VIII, p. 257.

Digitized by Google

liquido confitetur. Poemata autem illa memoria magis quam litteris tradita, quid aliud nisi carmina sint? Priscorum enim hominum temporibus poesis et cantus ita copulantur, ut ex duobus fiat unum.

Eoque majoris ponderis est Saxonis confessio, quod descriptione vel ipsa prælii expresse confirmata sit.

Priusquam eatur in aciem, longa recognitione recensentur singuli bellatores, qui jam instructi circum reges invicem infensos stipantur. Hac autem recognitione nomina propria iisdem ferme litteris indicantur, quod fieri non posset, ait P.-E. Müller, si Saxo carmina danica non secutus esset. Omnia repetere supervacuum ducimus. Quas fors obtulerit, paucas modo lineas revocemus. « Preterea in partem Haraldi concesserant *Hœmi et Hœsathul Hastinusque et Hythin* gracilis, Dahar quoque cognomento Grenski ; sed et Haraldus Olauo genitus patre. Ex Halica uero prouincia *Har atque Herlewar cum Hothbroddo*, cui Effreni cognomen erat, Danicis militauere castris. At ex Imica regione *Humnehy et Haraldus* aduenіunt... At e Thelemarchia fortissimi uenerant, quibus animi plurimum, fastus minimum erat, *Thorleuar pertinax*, *Thorkill Guticus*, Gretir iniquus irrupcionumque auidus. His succedunt Haddir durus et Roldar articulus. E Noruagia uero memorantur *Thronder Thrœnski*, *Thoki Moricus*, Rafn candidus, Hafwar, *Biarni*, *Blihar* cognomento Simus, *Biorn* e uico Soghni, Findar maritimo genitus sinu, Bersi quoque apud Falu oppidum creatus, Syuardus uerris caput, Ericus fabulator, *Holmsten*, *Hwiti*, *Ruthar*, *Rawi*, Erlingar, cui Colubra cognomentum erat... At Olonem VII reges manu consilioque promptissimi stipauere, *Holty uidelicet et Hendill*, *Holmar*, *Leuy et Hama ;* quibus *Regnaldus Ruthenus*, *Rathbarthi nepos*, ascribitur... »

Opinantibus Saxonem ipsum istos libellos creare potuisse E.-P. Müller jam respondit, si quis istos contulerit cum aliis libellis, eosdem bellatores referentibus, gravissimos errores inventum iri, quibus historicum scriptorem cuncta ea nomina ex carminibus fama traditis sumpsisse plane compertum sit. Is, ex. gr., quem dicit « Croc agrestis » (1) erat, reipsa,

(1) *GD.*, VIII, p. 260.

Digitized by Google

« Hrokr ab Akri » : pro appellatione loci imposuit indecorum prorsus cognomen ; eodem pacto, pro nomine hominis Saxonis calamus loci appellationem reposuit, cum ille « Gummi e Gislamarchia » esset in « Sögubrot » « Glismakr Godi ».

Starcatherus, cum non vellet morbo absumi grandiorique ætate esset provectus, quam ut se jam moriturum non sentiret, hominem, qui, auro accepto, ipsum morte afficeret, conquisivit. Cumque Hatherus quidam, Lennone genitus, esset is, quem conquirebat, dixit : « quod si, peracta cede, ante cadaueris lapsum caput ac truncum medius intersiliret, armis innocuus redderetur. Quod utrum instruendi percussoris gracia an puniendi dixerit, incertum est. » Nos sumus tam inhabiles, quam fuit Saxo, huic inaudito mandato interpretando. Meminimus tamen fuisse quoque in « Helgakvidha Hundingsbana önnur » Starcatherum quemdam, quem Helgo, ejusdem interfector, bellatorem omnium sua memoria trucissimum exstitisse dictitârit. « Occubuêre ad Hlébjorg filii Hrollaug et ad Styrkleif Starcatherus rex, fortissimus regum, quos unquam ego vidi : cujus corpus, capite jam humum lapso, adhuc certabat (1). » Intimi profecto sensus hujus strophæ congruunt cum narratione Saxonis. Starcatherus nonne, hortans hominem, qui se jam occisurus est, propius, peracta statim cæde, accedat, sperat et ipse fore ut interfectorem petat, seque ita sua ipsius manu ulciscatur ?

Num ex uno eodemque fonte sumpserunt et poeta eddicus et Saxo ? Hic ne potius ex illo ?

Fuisse carmina, quibus Saxo sit usus hoc in loco haud minus constat. Cum autem ea potuerit assignare Starcathero fabuloso, concludendum est, ducta fuisse, jam ipsius memoria, antiquissima : et opinandum, exstitisse eodem ferme tempore, quo res cantatæ acciderint, i. e., posteriore in parte octavi seculi. Quæ cum ita sint, et Sv. Grundtvig jure credat illa edita fuisse ultimis temporibus veteris germanicæ poesis, quatenus repetere debeant carmina antiquiora videmus.

Prædiximus alias quibus de causis Vanos deos fuisse priores Ansibus opinemur. Tertius autem ex Ansibus, Njördhr nomine, origine Vanus, is est, de quo hæc narrat « Gylfagin-

(1) Str. 19.

Digitized by Google

ning. » Bellum ingens inter utrasque partes exortum est et mutuis tandem acceptis condicionibus compositum. Tum Vani obsidem Ansibus dedêre Njördhr, vento ignique præfectum. Njördhr autem duxerat Skadi, ex Thjasso gigante ortam. Skadi vero constituerat se tenere in sedibus patris, mediis in rupibus Thrymheimr ; Njördhr contra ad mare. Convenit igitur inter conjuges, ut nonas noctes Thrymheimi ambo manerent, ternas Noatúni. At Njördhr, reversus a montibus Noatúnum, cantavit : « Mihi sunt odio montes, neque illic mansi diu : novem tantum noctibus. Luporum ululatus mihi perodiosus præ cantu cycnorum. » Ad hæc Skadi respondit : « Ego non potui dormire in littoribus maris præ clangore alitum. Mihi somnum excussit, ab alto veniens, singulis matutinis temporibus gavia (1). » Et Skadi suos ad montes regressa est, ubi, ligneis calcibus ingrediens saltus arcumque gestans, feras agitat.

Fabula, quam ibi latentem sentimus, ad prima profecto tempora pertinet, versusque supra editi ab ultima antiquitate repetendi sunt. Eosdem autem reperimus eo loco, quo Saxo Hadingo assignat rem de Njördhr deo.

« Cumque, sublato iam emulo, complures annos per summam armorum desuetudinem rerum agitacione uacuus exegisset, tandem diutinum ruris cultum nimiamque maritimarum rerum abstinenciam causatus et quasi bellum pace iocundius ratus, talibus se ipsum culpare desidie modis aggreditur :

Quid moror in latebris opacis,
Collibus implicitus scruposis,
Nec mare more sequor priori ?
Eripit ex oculis quietem
Agminis increpitans lupini
Stridor, et usque polum levatus
Questus inutilium ferarum
Inpatiensque rigor leonum.
Tristia sunt iuga uastitasque
Pectoribus truciora fisis.
Officiunt scopuli rigentes
Difficilisque situs locorum

(1) *Gylfaginning*, XXIII.

Digitized by Google

Mentibus equor amare suetis.
Nam freta remigiis probare,
Officii pocioris esset,
Mercibus ac spoliis ouare,
Era aliena sequi locello,
Equor[e]is inhiare lucris,
Quam salebras nemorumque flexus
Et steriles habitare saltus (1).

« Cuius uxor, ruralis uite studio maritimarum auium matutinos pertesa concentus, quantum in siluestrium locorum usu uoluptatis reponeret, hac uoce detexit :

Me canorus angit ales immorantem littori
Et soporis indigentem garriendo concitat.
Hinc sonorus estuose mocionis impetus
Ex ocello dormientis mite demit ocium,
Nec sinit pausare noctu mergus alte garrulus
Auribus fastidiosa delicatis inserens,
Nec uolentem decubare recreari sustinet,
Tristiore flexione dire uocis obstrepens.
Tucius siluis fruendum dulciusque censeo.
Quis minor quietis usus luce, nocte carpitur,
Quam marinis immorari fluctuando motibus ? »

Rem esse eamdem prorsus apud Saxonem, quam in eddico carmine, eosdem et versus, quanquam paulo productiores, inde ex fonte quopiam resumptos, plane apud omnes constat : at non, hercle, deis quidquam ex hominibus resumere solitum est.

Quod attinet ad rem de Gram, idem constat.

Non de mente cecidit, quomodo regulus ille, Scioldi filius, iter, comitante Besso commilitone, ingressus sit ad insectandum gigantem, cui Sigtrugus rex Gro filiam desponderat.

Quibus obvia Gro, indicto prius suo nomine, exquirit, sua vice, quinam sint et quo nomine dicatur regulus agmini imperitans et quam in regionem ire pergant :

Quis, rogo, uestrum
Dirigit agmen ?
Quo duce signa
Bellica fertis ?

(1) *GD.*, I, p. 33.

Digitized by Google

Quis moderatur
Prælia princeps ?
Quoue paratur
Prestite bellum (1) ?

In « Helgakvidha Hundingsbana önnur » Sigruna dea iisdem ferme vocabulis Helgonem interpellat :

Hverir láta flióta
fley vidh bakka ?
Hvar, hermegir,
heima eigudh ?
Hvers bidhidh ér
í Brunavágum ?
Hvert lystir ydhr
leidh at kanna (2) ?

Iidem rursum versus, eadem et res. Una ex parte reperimus Gram et Gro et invisum sponsum, simulque Sigtrugum, quem et ipsum Gram occidit ; altera vero, Helgonem et Sigrunam simulque Hodbroddum sponsum, cui non magis illa in matrimonium collocari vellet, quam corvo, « at ek vil eigi eiga hann heldr en einn krákuunga » (3), et Högne patrem una cum filio Granmarri ab Helgone obtruncatum. Num fortuito id factum esse contendas ?

Utque Gram virginem a se liberatam in matrimonium ducit, sic et Helgo Sigrunam.

Perspicuum est igitur, Saxonem ad suam rem convertisse carmina eddica : ergo nihil obstat, quominus opinemur, haud aliter cum carminibus proprie popularibus dictis actum esse ; utraque ceterum, in principiis, commixta fuisse, aut potius hæc ab illis defluxisse.

Alias, quid opus est conjectura nos uti ? Certissimæ nobis res suppeditantur.

Nos non fugit carminis vere popularis mentem intimam in cantilena a cunctis repetita stare. Sæpius autem contingit ut, carmine jam abhinc multis annis obsoleto, hæc cantilena repetita, quà carmen prius agitabatur, in memoria gentium adhuc susurrans adhæreat. Potuit igitur fieri, ut complures

(1) *GD.*, I, p. 14.
(2) Str. 5.
(3) *Völsungasaga*, IX.

Digitized by Google

fabulæ, olim per omnium ora cantatæ, ad nos pervenerint, usurpata narrationis tantum ratione ; qui vero eas Saxoni referrent, paucos illos versus adeo peculiares et velut tempore perenniores animo jam tum tenerent. Conjiciendum est quoque Saxonem, iterum atque iterum, quanquam carmen in promptu habentem, non totum reddere versibus constituisse, satisque ad propositum duxisse, si ea ratione cantilenam repetitam, operis præcipuam mentem, transtulisset.

Pluribus hujuscemodi cantilenis *Gesta Danorum* fuisse aucta compertum est.

Asmundus et Asvitus (1) perpetuam invicem amicitiam juraverant sacramentoque se adegerant, uter prior e vita decessisset, alterum continuo in tumulum subsecuturum. Asmundus, cum fuisset morbo absumptus, « cum cane ac equo terreno mandatur antro. Cum quo Asmundus ob amicicie iusiurandum uiuus contumulari sustinuit, cibo, quo uesceretur, illato ». Erici autem milites, hac iter facientes, tumulum, opinati defossas esse opes, aperiendum capessunt. Tumulus cum altior ipsorum opinione esset, unum ex suis per funem demittunt. Demissi vero in locum succedens, Asmundus jubet funem in lucem admoveri. Quo viso, neque ulli cognito, omnes præ formidine alii alio diffugiunt. Asmundus quam ægerrime, ut ad se redeant, efficit. « Quem uidens Ericus, precipue cruentati oris eius imaginem mirabatur. In uultu siquidem profluus emicabat sanguis. Quippe Asuitus, noctibus rediuiuus, crebra colluctacione leuam illi aurem abruperat, fedumque indigeste ac crude cicatricis spectaculum apparebat. Igitur a circunstantibus accepti uulneris causam referre iussus, sic orsus est fari :

Quid stupetis, qui relictum me colore cernitis ?
Obsolescit nempe uiuus omnis inter mortuos.

Mala soli, grauis uni manet omnis domus orbis.
Miseri, quos hominum subsidiis destituit fors.
Mihi specus et iners nox, tenebreque et uetus antrum
Oculis delicias eripuerunt animoque ;
Humus horrens, tumulus putris, et immundiciarum
Grauis estus minuerunt iuuenilis decus oris,
Habitumque et ualidi roboris usum uiciarunt.

(1) *GD.*, V, p. 161.

Digitized by Google

Super hec omnia contra exanimem conserui uim,
Graue lucte subiens pondus et immane peric[u]lum.
Laceris unguibus in me rediuiuus ruit Asuit,
Stygia ui reparans post cineres horrida bella.

Quid stupetis, qui relictum me colore cernitis?
Obsolescit nempe uiuus omnis inter mortuos.

Nescio quo Stygii numinis ausu
Missus ab inferis spiritus Asvit
Seuis alipedem dentibus edit,
Infandoque canem prebuit ori.
Nec contentus equi uel canis esu,
Mox in me rapidos transtulit ungues,
Discissaque gena sustulit aurem.
Hinc laceri uultus horret imago.
Emicat inque fero uulnere sanguis.
Haud impune tamen monstrifer egit;
Nam ferro secui mox caput eius,
Perfodique nocens stipite corpus.

Quid stupetis, qui relictum me colore cernitis?
Obsolescit nempe uiuus omnis inter mortuos (1).

Saxo sane non, verbum pro verbo reddens, locum hunc transtulit, cumque accepisset binas strophas, ex binis majoribus versibus aut quaternis minoribus constantes, ultro paginam totam implevit. Sententiæ vero illic expromptæ resque relatæ sunt antiquissimorum carminum popularium admodum propriæ; mortuum scilicet illum, qui, redivivus, ut ita dicam, noctu, cruentam esuriem satiare aggrediatur, in amicum vel optimum, quem agnoscere non videatur, impetu facto; et rationem qua quis se ab intempestiva larva expedire, præciso irruentis capite, possit : ea, inquam, fides est apud gentes a rerum initio editas communiter usurpata, neque dubitandum, quin Saxo ex carmine quopiam vetere, quo, ut solebat, magna cum licentia fuit usus, hauserit, servato tamen indicio originis, i. e., cantilena repetita.

Mos erat apud Scandinavos defunctorum facinora laudibus per carmina extollere in funebri epulo, præcinebatque sive

(1) *GD.*, V, p. 163. — Cf. P.-E. Müller, *Om Kilderne*, p. 69. « En gammel Sang maa have forplantet Mindet derom; thi Saxo anförer deraf Omqvædet, som var Asmund Tiltale til dem, der fandt ham. »

Digitized by Google

unus quilibet de eadem stirpe, sive, si deficiebat, unus ex familiarissimis aut is, cujus proprium erat cantare.

Minime igitur mirari debemus quod, mortuo Frothone rege, ita factum fuerit. At, cum Dani nullum hæredem cognoscerent regi superstitem, constituerunt, eo rerum statu, summam imperii in illum transferre, qui « illustrandi Frothonis gracia recenti eius tumulo plenum laudis carmen affigeret, famamque extincti regis specioso posteris titulo commendaret. Tunc quidam Hiarnus, Danice admodum poesis peritus, ut claritatem uiri insigni dictorum monumento prosequeretur, premii magnitudine concitatus, more suo condidit metrum. Cuius intellectum quatuor uersiculis editum in hec uerba transcripsi :

> Frothonem Dani, quem longum uiuere uellent,
> Per sua defunctum rura tulere diu.
> Principis hoc summi tumulatum cespite corpus
> Ethere sub liquido nuda recondit humus (1). »

Neque illud est, profecto, totum corpus carminis, quo illustratus Hiarnus regum Danorum sceptro potitus est : funebres enim laudationes, *Drapar*, continebantur versibus multo pluribus. De illis funebribus carminibus plurima neque omnium os, neque memoria retinere debebat; plerumque cantilena repetita supererat unica : quippe quæ, memorans singulis strophis præcipuam sententiam, rei mens esset intima. Sic, Snorrone auctore, Thorarin Loftunga condiderat in honorem Knuti Magni regis quoddam *Drapa*, cujus hæc erat cantilena : « Knutus terrarum orbem imperio premit, ut cælum custos Græciæ ! » Rexque adeo fuerat delectatus, ut cantorem quinquaginta argenteis nummis donaverit (2). Quemadmodum autem Snorro unam recolit cantilenam, ita sane recolere debuit Saxo versibus alternis, quæ vocant disticha, transferens binos majores versus, quibus Hiarnana cantilena continebatur.

Postremo est aliud magis rem nostram illustrans : carmen enim totum in manibus est, neque haud dubiæ fidei, et mirum in modum respondet carmini eddico de Njördhr.

(1) *GD.*, VI, p. 172.
(2) Cf. P.-E. Müller, *Om Kilderne*, p. 74.

Digitized by Google

Hadingo, neque jam hoc de memoria nobis cecidit, in patriam regrediente, Harthgrepa, filia Vagnophti gigantis, quæ una ibat, in tecto quo subierant ambo, noctem ibi exacturi, mortuum, cujus hoc ipso die cohonestabantur exsequiæ, ab inferis revocavit, institutaque ut absolveret, jussit Hadingum runas ligno insculptas linguæ defuncti imponere; ipsa autem interea dira expromebat carmina in re tali usurpata. Tum mortuus, jam redivivus, his adloquitur :

Inferis me qui retraxit, execrandus oppetat
Tartaroque deuocati spiritus penas luat.

Quisquis ab inferna sede reuocauit
Me functum fatis exanimemque,
Ac rursum superas egit in auras,
Sub Styge liuenti tristibus umbris
Persoluat proprio funere penas...

. . . . . .
. . . . . .

Inferis me qui retraxit, execrandus oppetat
Tartaroque deuocati spiritus penas luat.

Nam cum monstrigeni turbinis atra lues
Intima conatu presserit exta graui,
Atque manus uiuos uerrerit ungue fero,
Artubus auulsis corpora rapta secans,
Tunc, Hadinge, tibi uita superstes erit,
Nec rapient manes infera regna tuos,
Nec grauis in Stygias spiritus ibit aquas ;
Femina sed nostros, crimine pressa suo,
Placabit cineres, ipsa futura cinis,
Que miseris umbris huc remeare dedit.

Inferis me qui reduxit, execrandus oppetat
Tartaroque deuocati spiritus penas luat (1). »

Neque sunt perpauci prorsus in carminibus popularibus, qui defunctos ad superas auras egêre ; at nullus eodem rerum statu, quo Saxo : plerumque enim filius ad tumulum patris matrisve se confert defunctumque ad superas auras agit, impetraturus sive arma unica, quæ secum in caliginosas

(1) *GD.*, I, p. 22. — Cf. A. Olrik, *Forsœg paa en Tvedeling til Sakses Oldhistorie*, p. 77. « At Sakse her har villet give noget, der svarede til en bestemt metrisk form i de nordiske vers, kan der ikke være tvivl om. »

Digitized by Google

sedes abstulit, sive consilia faustaque verba, quibus ipsi opus est ad perficiendum aliquod facinus discriminum haud expers ; sed, qualibet de causa, iisdem vocibus exorditur, qui evocatus est.

Virgarus adest, fortissimus bellator, qui præ se gestavit Thidriki regis vexillum. It recta ad cæspitem, sub quo conditus jacet pater.

Intimo in cæspite — frendit quisquam vetulis dentibus : — « Quisnam hunc ad cæspitem venit — suscitatum mortuos ? »

Grani huc reportat aurum a lescis.

« Si hoc sub cæspite vigilas, — o defuncte pater, — ego nominor Virgarus, — tuus adoptivus filius. »

« At licet mihi sis filius adoptivus, — egoque tuus optimus pater : — montes prius subsident imis in vallibus, — quam ego hoc autumno exeam. »

« Nisi volueris, o tu, qui incolis hunc cæspitem, — mihi tuum ensem tradere : — subjiciam flammas cæspiti et super te tuam domum comburam. »

Grani huc reportat aurum a lescis (1).

Factumque est, ut mortuus ensem impetratum dederit.

Eadem de causa, Orm junior, qui cum gigante de filia regis certare destinaverat, se confert et ipse ad tumulum patris : verbis autem evocantibus, quibus erat usus, inerat tanta vis, ut et lapides ipsi tumuli imis a sedibus vehementer concuterentur.

« Quisnam mihi somnum adeo vehementer excutit, — tantasque injicit curas ? — Num in pace jaceam — subter his gravibus saxis ? »

Unde silva tota florida splendescit.

« Quod si tibi somnum adeo vehementer excussi, — tantasque injeci curas : ego nominor Orm junior, — tibi filius dilectissimus. »

Unde silva tota florida splendescit (2).

Haud secus Svejdal, quem devotionibus impugnavit noverca. Priusquam eat inquisitum sponsam suam, quam, etsi sibi incognitam, reperiat necesse est, se confert, comitibus potandi causa accubantibus, ad montem, matrem consulturus.

(1) *SK.*, n° 13.
(2) *DgF.*, I, n° 11.

Digitized by Google

Is erat Svejdal junior, — cœpit ciere : — qua voce discissus est murus ; — qua voce corruit mons.

Dic recte verba, quæ dicenda sunt.

« Quisnam is, qui me vocat, — mihique somnum excutit, mihi, quæ adeo sum defatigata ? — Num secura jaceam — subter nigra terra ? »

Dic recte verba, quæ dicenda sunt (1).

Ita, et ubique, et apud Saxonem, et in carminibus popularibus, mortuus illi molesto homini, qui se in tumulo securum jacentem interpellatum venit, succenset. Mortuus enim humanorum sensuum jam securus videtur minisque solum coactus impetranti respondet. Neque solum mens intima narrationis eadem prorsus est, quæ carminum popularium, sed etiam forma deprehenditur eadem per cantilenam illam, quæ sine fine redit, in nostra memoria infigens, tanquam malleo, rei caput.

Quæ omnia Saxonis operi subesse reipsa, nec conjectura quæsita, fateare necesse est : cumque subsint, quæ jam, conferentes rem et sermonem cum re et sermone carminum, verisimilia admodum habebamus, explorata plane certissimaque ducere, salva fide, cogimur.

(1) *DgF.*, II, n° 70.

Digitized by Google

III

QUOMODO SAXO VETERIBUS PATRIIS CARMINIBUS USUS SIT

Effecimus, ni fallimur, ut Saxonem e fontibus carminum popularium hausisse demonstraretur : nobis reliquum est ut expresse indicetur, qua hauserit ratione.

Duobus locis et ipse suam rationem tradidisse videtur.

In præfatione primum, postquam fecit mentionem de veteribus carminibus, quibus priores Dani virorum suorum facinora laudibus extollebant : « quorum, inquit, uestigiis ceu quibusdam antiquitatis uoluminibus inherens, tenoremque ueris translacionis passibus emulatus, metra metris reddenda curaui (1). » Et posterius, sub finem fabulæ de Biarko et Hialto : « Hanc maxime exhortacionem seriem idcirco metrica racione compegerim, quod earundem sentenciarum intellectus Danici cuiusdam carminis compendio digestus a compluribus antiquitatis peritis memoriter usurpatur (2). »

At quid expressi illa duplici professione significavit? Saxonem certe, quoties composuerit versus, versus quosdam transtulisse : nihil autem aliud, nostro quidem judicio, interpretandum.

Hanc autem transferendi rationem est operæ cognoscere.

E summa nostræ inquisitionis colligitur jam in modum satis manifestum, Saxonem maxima cum libertate transtulisse, paucissimosque esse locos ubi carminis verbis propriis

(1) *GD.*, Prefacio, p. 3.
(2) *Id.*, II, p. 67.

Digitized by Google

institerit; immo nunquam majore cum fide antiqua carmina reddidisse, quam ubi soluta oratione converterit. Metra num latina obstabant? Non ita obstabant, nostra quidem sententia, utpote peritiori linguæ latinæ. Summam vero linguæ illius prudentiam adeptus, adductus erit ad exercitationem, ut ita dicam, de argumento quodam potissimum electo, ea mente, quo ita opus pluribus ornamentis distingueretur.

Ratio, qua usus fabulam de Hagbartho et Signa tractavit, nobis jus penitus facit sententiæ hujusmodi proferendæ.

Sunt in ea quam diversissimi numeri :

Hic candoris inops prima probitate relucet
Uultum uigore meciens. . .

Quid miri tenerum nobis durescere subtel,
Et longos hirto crure manere pilos. . .

Si captum genitor tuus
Me tristi dederit neci. . .

Me crede tecum, care, uelle commori,
Si sors exicii pretulerit uicem. . .

Nunc insolens Hagbarthe,
Quem morte dignum concio
Adiudicavit omnis. . .

Hac gustum capiam manu supremum,
Extreme quoque pocionis haustum. . .

Ocius, o iuuenes, correptus in aera tollar.
Dulce michi, nupta, est post tua fata mori.

Constat autem plane, carmen prius editum iisdem ab initio ad finem cecinisse numeris; neque ullum est e carminibus Scandinavorum popularibus, quod ab hac canendi ratione abhorreat. Quicumque fabulam de Hagbartho et Signa tradidêre, eumdem hunc numerorum ordinem servant :

Hagbard konning oc Sigvord
De ypide en hadings-kiff :
Dett kam for stallten Signe,
Det allar-weniste liff (1).

(1) *DgF.*, I, n° 20 A, str. 1.

Digitized by Google

Quæ stropha originem, ut opinamur, capit a stropha prius edita, binos majores versus continente, quos sequebatur canticum ab universis repetitum :

Hvad eller om adt i winder mig eller en saa wenen !

At Saxo, qualemcumque formam cognovit, se non ea adstrictum arbitratus, non exscripsit : qua re, plane illustri, peculiarem in modum, quanta cum libertate transferendum arbitraretur, significatur. Quod autem dici potest de hac fabula Hagbarthi et Signæ, idem dicendum est quoque de ceteris, quas operi inseruit.

Interpres non magis exteriori figuræ constitit, quam intimis rei visceribus, usus utrinque pari licentia.

Saxo plerumque contentus est, si fabulam sibi propositam longiore ambitu circumduxerit.

Die qua certandum erat ad Stiklestad, primo mane, anno p. Ch. n. millesimo tricesimo, dicit saga Olafi beati, rex Thormodum, bardum suum, ut suos ad pugnam ineundam incitaret, canere jussit. Bardus autem exorsus est vetus carmen de Bjarko, adeo prælta voce, ut toto ab exercitu audiretur. Qui sagam scripsit, duas primas strophas carminis renovat : « Sol ortus est ; plumæ galli horrescunt ; hac hora invitantur famuli ad se operi accingendos. Surgite ! Evigilate ! Heus vos ! Commilitones cuncti, regi proximi ! » — « Tu, Haar, manu gravis ! Tu, Hrolo sagittarius, qui semper telo a te destinatos petiisti ! Vos omnes, proceres, fugæ nescii ! Vos non ad potandum vinum evoco, non ad dulcia virginum oscula ; non, hercle ! sed ad terribiles Hildur ludos vos evigilare jubeo (1) ! »

Hoc barditum, cum Rolphonem, Saxone auctore, nocte aggressi essent Sueones, qui venerant per speciem conferendi tributi, fidus regi Hialtus primum cantavit.

Ocius euigilet, quisquis se regis amicum
Aut meritis probat, aut sola pietate fatetur.
Discuciant somnum proceres, stupor improbus absit ;

(1) Cf. P.-E. Müller, *Om Kilderne*, p. 31. — F. Jónsson, *Den oldnorske og oldislandske Literaturhistorie*, I, p. 470. — C. Rosenberg, *Nordboernes Aandsliv*, p. 343.

Digitized by Google

Incalcant animi uigiles ; sua dextera quenque
Aut fame dabit, aut probro perfundet inerti ;
Noxque hec aut finis erit, aut uindicta malorum.
Non ego uirgineos iubeo cognoscere ludos,
Nec teneras tractare genas, aut dulcia nuptis
Oscula conferre et tenues astringere mammas,
Non liquidum captare merum, tenerumue fricare
Femen, et in niueos oculum iactare lacertos :
Euoco uos ad amara magis certamina Martis... (1).

Hi versus sunt iidem plane qui in saga : sed, ut notavit P.-E. Müller, hoc ex exemplo perspicuum est, qua ratione Saxo, sublatis veteribus vocabulis nordicis, recentiora subdat vocabula, quantumque rei amplificandæ, donec penitus exhauserit, sit peritus.

Videmus initium primæ strophæ, a scriptore sagæ editæ, apud Saxonem abesse : illam matutinæ horæ descriptionem comparationemque illam, ceterum splendidissimam, bellatorum cum famulis ad herbam in pratis falce succidendam euntibus. Quantum, canente bardo, ii versus sunt tempestivi, tantum intempestivi essent apud Hialtum, suos, nocte media, ad arma evocantem.

Ad nos usque exstitêre perpauca vetusti illius *Bjarkemál :* præter duas strophas supra relatas, tres admodum aliæ supersunt in Edda Snorronis ; eæ, monentes de largitate regis, totæ referciuntur diversis nominibus, quibus aurum designatur.

Illas Saxo pariter habuit cognitas. Sed, cum non potuisset, verbum pro verbo reddens, neque easdem in linguam latinam referre, neque omnia illa auri nomina diversa exscribere, variorum armorum opumque pretiosarum enumerationem subdit.

« Rursum Hialto :

Dulce est nos domino percepta rependere dona,
Acceptare enses, fameque impendere ferrum.
En uirtus sua quenque monet, meritum bene regem
Rite sequi, dignaque ducem grauitate tueri.
Enses Teutonici, galee, armilleque nitentes,
Lorice talo immisse, quas contulit olim

(1) *GD.*, II, p. 59.

Digitized by Google

Roluo suis, memores acuant in prelia mentes.
Res petit et par est, quecunque per ocia summa
Nacti pace sumus, belli dicione mereri,
Nec letos cursus mestis preponere rebus
Aut duris semper casus preferre secundos... (1). »

Perincommode vero his Saxo amplificans sententiamque et linguam scriptoris depravat : nunquam enim barbara ætate bellatores tot verba tantaque explicatione disserta fecissent, in primis ad expromendos sensus, quos ipsis Saxo assignet. Itaque fit, ut plerumque non præteriti temporis viros, sed Saxonem ipsum, suas per illorum vocem expromentem sententias, audiamus.

Saxoque, utpote poetæ vicem gerens, eloquitur non Scandinavorum, sed Romanorum more, imperatorum temporibus viventium.

Perspicuum est, ex. gr., Saxonem describentem monstra, quæ Regnerum et Thoraldum juniores regulos, a noverca gregi regio præpositos circumstent, operum, quæ magistri in schola interpretantur, maxime recordatum esse.

Monstra quidem uideo celerem captancia saltum
Corpora nocturnis precipitare locis.
Bella gerit demon, et inique dedita rixe
Militat in mediis turba nefanda uiis...
Trux lemurum chorus aduehitur, precepsque per auras
Cursitat, et uastos edit ad astra sonos.
Accedunt Fauni satyris, Panumque caterua
Manibus admixta militat ore fero ;
Siluanis coeunt Aquili, Larueque nocentes
Cum Lamiis callem participare student.
Saltu librantur Furie, glomerantur eisdem
Larue, quas Simis Fantua iuncta premit... (2).

Hoc loco sunt viginti versus, cum, ut conjicere licet, carmini priori inessent non ita plures, quam duo aut quatuor. Bardus quidem, qui eo cantasset more, non, procul dubio, sibi audientiam fecisset. Ad hæc addendum, cunctos illos versus edi a puella, quæ, quanquam regia, ne primam quidem notionem accepisset de commentis ad deos pertinentibus,

(1) *GD.*, II, p. 59.
(2) *GD.*, II, p. 42.

Digitized by Google

gigantes rursus et nixas modo et pumiliones popularibus notos mente teneret.

Saxo igitur versus suos rerum copia aliena omnino a mente veterum carminum popularium auget, verum etiam extraneis vocabulis usus : sic ad adulterandam intimam sententiam fabularum, quas transfert, adducitur.

Quæ transferendi ratio gravissimum quidem historico scriptori vitium ducendum est ; neque unum illud, perincommode, apud Saxonem deprehenditur.

Nobis fuit identidem locus comperiendi, Saxonem a se jam dicta iterare solitum esse, quippe qui idem facinus conferret in viros vel diversissimos — res ex ipsius proposito considerantibus ; nos vero virum eumdem, quanquam auctum diversis nominibus, ab illo in spectaculum sine fine editum, potius contendamus. Quo tamen crimine purgari potest : illum ante oculos habuisse carmina, quæ et ipsa facinora iterarent, aucta rebus quibusdam vix diversis, quorumque nec originem rapuerit, nec intellexerit naturam connexionum, quibus inseparabilem in modum universa in unum corpus colligi debuissent.

Quæ bis aut identidem repetita de eadem fabula nonnihil plane ex jucunditate operis tollunt obstantque singulariter, quominus res facili gradu procedat. Illud autem vitium, omnes per partes diffusum, magis etiam percipiatur ex hac aut illa fabula, si singularem a ceterisque secretam consideres. Nunc Saxo primum soluta oratione, post, nullo interjecto spatio, versibus rem eamdem narrat ; nunc, contra, quæ versibus in eodem vestigio temporis docti sumus, continuo soluta oratione explicat.

Cedo, pro singulari prioris rationis exemplo, verba Harthgrepæ, sibi amorem Hadingi conciliare studentis : « Non te moueat, inquit, insolitus mee granditatis aspectus. Nunc enim contraccioris, nunc capacioris, nunc exilis, nunc affluentis substancie, modo corrugati, modo explicati corporis situm arbitraria mutacione transformo ; nunc proceritate celis inuehor, nunc in hominem, angustioris habitus dicione, componor. Adhuc hesitante eo fidemque dictis habere cunctante, tale carmen adiecit :

Digitized by Google

Ne paueas nostri, iuuenis, commercia lecti.
Corpoream gemina uario racione figuram,
Et duplicem neruis legem prescribere sueui.
Nam sequor alternas diuerso schemate formas
Arbitrio uariata meo ; nunc sidera ceruix
Equat, et excelso rapitur uicina Tonanti ;
Rursus in humanum ruit inclinata uigorem,
Contiguumque polo caput in tellure refigit.
Sic leuis in uarios transmuto corpora flexus
Ambiguis conspecta modis ; nunc colligit anceps
Strictus membra rigor, nunc gracia corporis alti
Explicat, et summas tribuit contingere nubes.
Nunc breuitate premor, nunc laxo poplite tendor,
Versilis inque nouos conuerti cerea uultus.
Nec me mirari debet, qui Protea nouit.
Nunc premit effusos, modo clausos exerit artus
Forma situs incerta sui speciesque biformis,
Que nunc extricat, nunc membra reuoluit in orbem.
Exero contractos artus, tensosque subinde
Corrugo, uultum formis partita gemellis,
Et sortes complexa duas ; maiore feroces
Territo, concubitus hominum breuiore capesso (1). »

Intempestiva de Protheo memoria omissa, his versibus eædem expresse continentur sententiæ, quæ soluta prius indicta oratione, et, quanquam explicatiores, iisdem ferme vocabulis.

Cedo adjacentem pene paginam. Pari utitur ratione Saxo referens sermonem Othini cum Hadingo sibi gratiosissimo. Quod jam, loco supra notato, animadvertimus, quo describuntur monstra aggressa nocte media juniores regios Hundingi, Sueonum regis, filios.

Posterioris autem rationis pro exemplari cedo rem, æque jam notatam supra, Frothonis cum dracone, ubi brevius contractos versus excipit soluta oratio.

Ea quidem est profecto incuria ; et, quantumvis magno vertenda sit crimini, propensi simus ad condonandam viro historias ordinanti duodecimo seculo, qui ceterum summum in dicendo nitorem præstitit : at, finitimum isti transferendi generi, quam incertissimo, quippe quod reddat neque sententias neque formam, et isti eadem repetendi rationi, singulos

(1) *GD.*, I, p. 22.

Digitized by Google

fabulæ gradus cohibenti, qua Saxo utitur, utpote aliquando acuminis in secernendo expers, adjacet et alterum vitium, quod, nonnihil historici temporis fidem detrahens, ei crimini vertamus inviti : hoc est, quod dicamus ? majus æquo carminum popularium studium.

Carmina quolibet loco expromit, sive suis ipsius versibus efficta, sive simplice solutæ orationis vestitu.

Totus in narranda fabula versatur. Extemplo ad mentem revocatur quoddam carmen. Inde interruptæ fabulæ carmen inserit, neque ulla ceterum commissura supra dictis connexum, neque, vel de minima re, ad sequentia pertinens; neque ullam causam affert, nisi hanc : « Nec silencio implicandum, quod sequitur. » Et exorditur carmen de Tokone quodam, qui a rege, stomachato ob perpetuam hominis jactantiam, jussus est, bina discrimina continentia obire ; etsi terribilia, ea effugit non sine laude : prius, uno sagittæ ictu pomum in capite filii positum fuit dejiciendum ; posterius de abrupto monte, Finnorum more, descendendum.

Hæc ubi dicta, narrationem repetit : « Post hec Haraldus... »

Is Toko quidem, parvo interjecto spatio, iterum apparebit et, postquam rex cum Svenone filio rebellante manus inseruit, per fraudem sagitta interimit Haraldum aversum (1).

Quæ pars ultima aut a Saxone, aut fama qualibet tradita est. In carmine quoque Geyti — id usurpat nomen, qui Tokonis agit personam — per insidias regem interimit, sed in Anglorum terra, in quam a comite rebellante Haraldus vocatus fuerat.

Cur igitur Saxo carmen illud huic loco inseruit? Num propterea quod de Haraldo rege fit mentio et eodem puncto temporis regis cujusdam id nomen usurpantis rem refert ? Quæ si ita fuissent, bellatorem eodem nomine, quo carmen, designâsset. Nonne potius, cum audiisset de Tokone quodam, qui reipsa occidit regem et peritissimus tendendi arcus habebatur, hominem illum auxit facinoribus, quæ, tot jam labentibus annis, gentes cantabant in honorem viri cujusdam, extra historiam, ut videtur, positi, et cui, in diversas terras

(1) *GD.*, X, p. 332.

Digitized by Google

digresso, mutari posset nomen ? Carmen illustriores fecit res, alioquin paulo obscuriores, viri, quem Saxoni in lumen promovere in animo erat.

Multo etiam majora beneficia in historicum scriptorem confert.

Saxo, ineunte septimo libro, quod nihil aut ferme nihil de iis, qui Ingellum regem defunctum exceperint, sibi sit compertum, queritur (1). Observat itidem Svend Aagesen, filios illa ætate jam non agnatorum lege in patris vicem successisse, atque, haud semel, summam rerum ad hæredes cognatos esse translatam. Itaque ignota admodum illa tempora nos latent.

Alias Saxo, flocci faciens seriem temporum, cum dixisset Frothonem ætate J. Ch. regnâsse, itaque complura secula transiliisset, se, ut ad suam ætatem perveniat, valde ancipitem animi videt. Obest enim intervallum, quod iter ingredienti claudat. Quod ad complendum, exscriptis, ordinem rerum parum curans, nonnullis inter jucundissima carmina, quæ memoria tenet, totum librum perducit ad finem (2).

Sunt primum facinora Haraldi et Haldani, Haraldi filiorum nepotumque Ingelli : hi, destinati ad necem a patruo, ab iis ipsis servantur, qui occidere jussi erant, postremoque flammas subjiciunt regiæ ; igni correptus interit Frotho una cum suis. Prætermittenda horum facinora omnis generis : eadem ineunda certamina, quæ jam permultis locis legimus cum apud Saxonem, tum in carminibus popularibus, cum regiis æmulis et piratis et gigantibus. Haldanus et ipse, ex gigantibus unus, in teli loco, querceum truncum vibrat. Vir, extra historiam ponendus, rapit puellam regiam sponso, qui sponsæ odio est : qua victoria uxorem una et opes grandes adipiscitur.

Haldanum excipit Ungvinus, Gothensium rex ; Ungvinumque Syvaldus filius.

Huic Sylvado erat filia adeo formosa, ut undique concurrerent proci, in matrimonium rogaturi, eaque castitate, ut ne oculos quidem, maris cujusdam conspiciendi studio, attollere unquam ausa esset. Illos autem inter procos erat

(1) « Huius actus uetustatis squalore conspersos parum iusta noticia posteritas apprehendit. » *GD.*, VII, p. 216.
(2) Cf. P.-E. Müller, *Om Kilderne*, p. 95.

Digitized by Google

Otharus, Ebboni filius ; quanquam virtute præcellens, inchoatam rem non prosperius, quam ceteri, exsecutus est. Mox adest gigas qui, dolo usus, rapit virginem. Otharus cum, ad inquirendum iter ingressus, nactus esset gigantem istum occidissetque, sibi Syrithæ benevolentiam conciliatam arbitratur ; hæc autem, ab eo fuga digressa, se recipit ad mulierem, quæ dicitur « siluestris », ejusque servat capellas. Otharus assecutus experitur, num puellam attollere oculos cogat. Desperans autem se coacturum, discedit illico ad classemque revertitur. Syritha rursus, postquam diu processit errabunda, ad ædes ipsas Ebbonis devenit. Othari vero mater suspicatur puellam, etsi indutam pannis, nobili esse ortam loco, concinna ceterum vel totius corporis conformatione proditam. Suspicatur Otharus et ipse : ista autem puella mendicanti similis vultum continuo velamento cooperiendum curat. Itaque supremum discrimen experitur : « Nupturam sibi feminam fingit, eiusque thorum conscendens, lucernam Syrithe gestandam committit. Que cum, absumptis pene lychnis, admoto propius igne premeretur, tantum pacienciæ specimen prebuit, ut manum absque motu continere uisa, nullam ardoris molestiam sentire crederetur... Que demum ab Otharo manui consulere iussa, placidos in eum obtutus uerecunda luminum ereccione conuertit, statimque, semoto nupciarum figmento, genialem thorum nuptura conscendit (1). »

Sentit quidem Saxo, se modo tractâsse argumentum magis poetæ more, quam ut historiam rerum vere actarum habeamus : adjicit igitur pugnam cum famoso Starcathero, neque jam amplius de Otharo agitur.

Quod si hac in fabula perspexerimus, una ex parte, rei cursum procedentis, ut fit in carminibus, ingenti gradu per salebrasque, altera vero, versus ibi repertos, non dubitandum erit, quin Saxo illam ex cantu quodam amatorio, non ex saga, hauserit (2).

Syvaldum autem excipit Sygarus, cui erant tres filii, Syvaldus, Alf et filia Sygna.

(1) *GD.*, VII, p. 227.

(2) P.-E. Müller, *Om Kilderne*, p. 99. « Da nu til alt dette kommer, at ogsaa Vers blive anförte, slutte vi at Kilden, hvoraf Saxo öste, ikke var nogen saga, men en Elskovssang. »

Digitized by Google

Illis in temporibus imperium obtinebat apud Gothos Syvardus rex. Cui erat filia, Alvilda nomine, « que tantam uerecundie fidem ab ipsis prope modum incunabulis preferebat, ut os peplo iugiter obnuptum haberet, quo minus formam suam aliene libidinis irritamentum efficeret. Huic pater in arctam ad modum custodiam relegate uiperam anguemque educandos commisit, pudiciciam eius adultorum tandem reptilium custodia uallaturus. Neque enim facile thalamus inuestigari poterat, quem tanti discriminis pessulum obserabat. Statuit eciam, ut siquis eius aditum frustra tentasset, protinus amputandum caput paloque refigendum preberet. Ita annexus petulancie metus concitata iuuenum ingenia castigabat (1). » Alf, quanquam complures alii non prospere cesserant, facit nihilominus periculum monstraque interficit. Puella vero, quam jam sibi nuptum iri putabat, virilem, hortante matre, induit vestem, abitque, piratarum turmas ductura. Cum die quadam navibus Alf occurrisset, itur in prælium, victaque Alf victori se tradit nubendam (2).

Neque quisquam unum ex innumeris variisque fabulis commentum de Sigurdo et Brynhilda referentibus huic subesse loco non confiteatur.

Subsequitur miserabilis fabula de Hagbartho, Hamundi filio, et Signa. Fabulam hanc jam nobis fuit locus notandi, aliasque longius explicavimus, quam ut hic referendam putemus. Liceat tantum adjicere, nos manifestis indiciis comperisse, carmen, vel ea indutum figura, qua ad nos pervenerit, multo antiquius, quam Saxonis historia, exstitisse.

Postremo, additur quarta fabula, cujus originem haud minus, quam trium superiorum, extra historicas res esse ponendam evidenter constat.

Guritha, Alfi filia, unica toti exstinctæ stirpi supererat; cumque nullum circumspiceret ita nobili loco ortum, ut se duceret, constituerat non matrimonio jungi. Nequidquam Haldanus, Borcari filius et Drotæ, venit et benevolentiam illius

(1) *GD.*, VII, p. 228.

(2) Cf. P.-E. Müller, *Om Kilderne*, p. 100. « Vel ere de historiske Momenter her noget mere udviklede, end i Sagnet om Syritha; men det Hele har dog netop den for en Ballade passende Runding, og ender med Giftermaal. »

Digitized by Google

sibi conciliare conatus est : illa procum repudiavit, utpote non ita magnam famam adeptum. Is autem se tanta patraturum facinora, ut consentientem aliquando ducat, jurejurando deos obtestatur. Eo vero absente, proceres Danorum Guritham nobili cuidam ex Saxonibus, Sivaro nomine, invitam despondent. Quo audito, Haldanus propere ex Ruscia regreditur, primoque die nuptiarum devenit. Cumque, quis esset, patuisset, certior factus, se a puella, quæ invita sponso obtingat, amari, eam, marito prius interempto, rapit.

Id esse unum ex argumentis acceptissimis apud poetas populares et maxime vulgatis per omnes gentes, neminem fugit.

Neque fortuito, dicit P.-E. Müller (1), Saxo ita ætate eadem continentes quatuor cantus amatorios inseruit. Nusquam enim toto in corpore narrationis alias fabulas, tam apte ad figuram cantilenæ propriam accommodatas, comperimus. Quæ quatuor carmina, quale de Signa et Hagbartho, erant profecto omnium in ore : neque illa, ut nonnullos versus eodem auctore commemoratos, quispiam antiquitatis curiosior excerpta protulit : vividiora sunt, quam ut id factum sit, atque alias gradatim, procedente tempore, immutata, colorem magis aptatum recentiorum moribus sumpsêre. Sed, cum de præteritis, nulla tamen nota indicto tempore expressius adscripta, monerent, maxima erat Saxoni facultas ea interpretandi sub finem temporum extra rerum fidem retinentium memoriam positorum, et, nullo interjecto spatio, ante primum historicum carmen referens de ætate definita : itaque egit eo libentius, quod ratio complendi annorum seriem, de qua ne minimum quidem indicium supererat, ipsi suppeditabatur.

Alio loco, inter narrandum, Saxoni par difficultas obstitit : quanam ratione usus, ab insigni prælio apud Braavallam commisso, i. e. medio a seculo octavo ad tempus, quo vivebat Gœtricus rex, « qui et Godefridus est appellatus », Caroli Magni æqualis, perveniret.

Paululum hæsitare ; mox interponere historiam Jarmerici.

Jarmericus, Syvardi filius, fuerat, puer admodum, in servitium ad Sclavos abductus, unaque sorores sub hasta ven-

(1) *Om Kilderne*, p. 106.

Digitized by Google

ditæ, altera Norvagiensibus, Allemannis altera, « quod uenalia quondam solebant esse connubia ». Illic cum Gunnone conservo, primum in colendis agris versatus, paulatim crescit; parata tandem Ismari regis fiducia, summos honores adipiscitur. Sed, die quadam, cum rex fratri cohonestandis exsequiis distineretur, Jarmericus, conscio Gunnone, asservantem frustatur reginam aufugitque, expilato thesauro regio, priusque regiæ, ubi Ismarus funebri epulo præerat, flammis subjectis. Juvenes, consectantibus equitibus, ægre perveniunt ad flumen, cujus pontem a tergo rescindunt. Ab ulteriore ripa, equites Sclavorum, conspicati recedentes, lintre forte illic reperto, frustra conclamant, regrediantur, seque iis regnum permissuros : « quod publico ueterum instituto regum percussoribus regnorum successio decreta fuerit. Diu recedencium aures pertinax Sclavorum clamor promissis pellacibus exurdabat (1). »

Duobus ferme seculis ante Saxonem, Ekkehardus monachus, in monasterio Galli beati, hexametris heroicis latinis mandaverat idem facinus, auctore vero rerum Waltario ab Aquitania (2) oriundo, quem in servitutem redegerat Etzel, rex Hunnorum: hoc tamen, jure poetæ usus, interposuerat discrimen, quod fugientem comitetur Hildegunda, formosa puella, ipsi a pueris sponsa, non conservus.

Dubitandum est, num Saxo poema illud compererit.

Altera a parte, Saxonis narratio, si, ut asseruère quidam, ex materie hinc atque illinc excerpta efficta esset, non eo profecto procederet gradu citato liberoque, per quem *Gesta Danorum* illustrissimis paginis augentur.

Sed, ut Ekkehardus, procul dubio, hauserat commenti argumentum ex antiquo carmine apud populares acceptissimo, ita fieri potuit, ut Saxo carmen Scandinavorum eamdem prorsus fabulam evolvens, quod longe antiquius ducendum arbitramur, in promptu habuerit.

Saxo ceterum non uno hoc carmine usus est ad producendam de rege illo memoriam.

Jarmerico, ducta Svanhilda, erat ex altera concubina filius, Broderus nomine, quem Bicco quidam, consiliorum auctor

(1) *GD.*, VIII, p. 278.
(2) Waltharius, Ed. E. Scheffel u. Holder, 1874.

Digitized by Google

apud regem, insimulat, consciam reginam nefarie stuprâsse. Broderus, cum non posset falsum crimen diluere, damnatur ad patibulum, reginaque se, nexu humo adstrictam, equinis obterendam calcibus præbere jussa est. Broderus quidem, suadente Biccone, simulatum modo suspendium subit. Reginam vero « tante fuisse pulcritudinis fama est, ut ipsis quoque iumentis horrori foret artus eximio decore preditos sordidis lacerare uestigiis. Quo argumento rex innocenciam coniugis declarari coniectans, accedente erroris penitencia, falso notatam festinat absoluere. Aduolat interea Bicco, qui supinam iumenta diris deturbare carminibus, nec nisi pronam obteri posse, firmaret. Quippe eam forme sue beneficio seruatam sciebat. In hunc modum collocatum regine corpus adactus iumentorum grex crebris alte uestigiis fodit. Hic Suanilde exitus fuit (1). »

Bicco, Broderi servati memores iras metuens, se recipit ad fratres Svanhildæ, sororemque a rege marito occisam mentitur. Quo cum concurrissent, sororem ulciscendi causa, Jarmericusque defendens injuriam inferentes cecidisset, mortuum Broderus excipit.

Jordanes, sexto seculo, in Historia Gothorum, eamdem fabulam narraverat, statu vero rerum plane diverso. Hermanaricus, Gothorum rex, cum jam innumerabilis Hunnorum exercitus hostili animo progrederetur, Rosomonos a se descivisse audierat. Ira percitus, jusserat comprehendi mulierem ex illa gente oriundam, « Suanhildam nomine », quam « pro mariti fraudulento discessu equis ferocibus inligatam incitatisque cursibus per diuersa diuelli precepisset ». Cujus mulieris fratres, nomine Sarus et Ammius, curaverunt et ipsi ulciscendam sorori illatam injuriam, Hermanaricusque, vulnere accepto, « egram uitam corporis imbecillitate contraxit » (2).

Ex Völsungsa-Saga, Svanhilda erat filia Sigurdhi et Gudhrunæ. Educata apud Jónakr regem, in matrimonium fuit flagitata ab Jarmerico rege, qui Randverum filium, comitante Bikkone, ex intimis consiliorum auctoribus, ad arcessendam

(1) *GD.*, VIII, p. 280.
(2) Jordanes, *De Origine Actibusque Getarum*, cap. XXIV.

Digitized by Google

virginem misit. Inter eundum, Bikko injecit animo junioris regii, quanta cum molestia ferendum esset, puellam adeo formosam in potestatem viri annis confecti venire; inde juvenis blando sermone sponsam permulcet. Statim regressos domum Bikko adulterii insimulat; Jarmericus igitur Randverum damnavit ad patibulum, Svanhilda autem equinis terendam calcibus se præbere jussa est. Hæc vero uno tantum oculorum conjectu sustinet feroces equos, impetum facere jam non ausos. Tum, Bikkone suadente, reginæ velatur caput : itaque Svanhilda obtrita est (1).

Non modo res ipsa comperitur una et eadem cum apud binos historicos scriptores, tum in saga, verum etiam nomina personas agentium. Saxo autem neque Jordanem, neque Ekkehardum notum habuit : rem igitur illam neque ab Jordane neque, hercle, a saga, utpote continente partes quasdam, quas prætermittendas, si in promptu habuisset, non censuisset, accepit. Fama igitur una, fama, inquam, ex oribus in aures transmissa, variam rerum seriem, notabilius quidem ab Jordanis temporibus immutatam — carmen enim populare, natura vivacissimum, non eo statu, quo fuit antea, immotum constanter perstat — Saxoni tradidit. Commentum, qua sagæ scriptor ad suam fabulosam narrationem accommodaverat, eadem Saxo ratione ad suam Historiam aptandum arbitratus est : ex commentis autem, illa, vivaci exhausto spiritu, in perpetuum, soluta oratione cursum cohibente, torpescunt; hæc vero, variis induta figuris, vividum et nunc spiritum retinent, cantataque sine fine omnium ore ad posteros transmittuntur.

(1) Cap. XL.

Digitized by Google

CONCLUSIO

Scandinavi, barbara ætate, tenebant carmina, per quæ, a patribus ad nepotes transmissa, cantabant suos antiquos deos virosque, gentis et conditores et propugnatores.

Ubi vero gentes illæ, admotæ humanioribus Romæ Græciæque moribus et transfiguratæ religione, quam ab apostolis Christi fuerant recens doctæ, quotidiano litterarum usu consuevêre, carmina illa, una ex parte, colligi describique in ordinem, mox aliis permixta fabulis, prius alternis vicibus solutam orationem et versus obtinentibus, posterius autem unam modo solutam orationem usurpantibus, cœpta sunt; altera vero, haud minus per campos Jutorum, quam in profundis saltibus, longissimos sinus cingentibus, et in insulis, quas perpetuo æstu tundunt fluctus Oceani germanici, a rusticis sine fine cantata sunt cantanturque.

Eodem ferme seculo, apud Danos Saxo Grammaticus, cum studeret et ipse scribere *Gesta Danorum*,

Digitized by Google

illa carmina, quæ sola, preter paucas runicas inscriptiones, rerum ceterum inopes, de præteritis aliquam memoriam servarent, colligere constituit. Horum carminum, numero multo plurium, quam quæ a sexto decimo seculo sunt collecta, fregit generatim poeticum subtemen, usurus suum ad arbitrium filis. Quos filos, sic usurpatos, non hercle, si non opus totum colore quodam admodum singulari ad fabulosam antiquitatem pertinente auxissent, facile dignoscas. Ad hæc addendum, ut Saxo amplius locos quosdam passim inseruerit, plus minus explicationis præstantes, plus minus adulteratos, majore minore limatos cura, quorum tamen de origine dubitare non liceat.

De Saxone liber etiam nunc est conficiendus, qui ejusdem et virtutes et vitia cum cogitata eloquentis, tum res referentis perspiciat et in loco prospectui opportunissimo splendidam effigiem gentium septentrionalium ab eo descriptam proponat, in primisque opus inusitatæ amplitudinis, illic exstructum ipsis ab incunabulis historiæ patriarum litterarum, meritis extollens laudibus, quanti constanter nostram ad memoriam usque valuerit, prædicet.

Cujus libri capitulum unum scribere voluimus.

Doctor quidem, inter viros, qui de re hac ipsa maxima pollent auctoritate, sibi nullum ex carminibus popularibus, quo sit usus Saxo, notum esse, scripto asseruit (1).

Si quis tamen opus illud, universum Saxonem complexum, quod desideramus susceperit, eum neque judicio supra dicto præoccupatum a via deflexurum, neque inter diversa documenta, e quibus hauserit illustris

(1) A. Olrik, *Sakses Oldhistorie*, p. 225. « Jeg kender overhovedet ingen eksempler paa, at Sakses Kilder er folkeviser. »

Digitized by Google

historicus scriptor Danorum, vivacissimum unaque copiosissimum fontem, carmen scilicet populare, incuriose posthabiturum esse, in nostra spe ac votis ponere audemus.

Vidi ac perlegi

Lutetiæ Parisiorum in Sorbona
a. d. IX Kal. Nov. ann. MDCCCCI
Facultatis Litterarum in Universitate Parisiensi :

Decanus,

A. CROISET.

Typis mandetur

Academiæ Parisiensis Rector,

GRÉARD.

4-11-01. — Ex typis « E. Arrault et Cie ».

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google